

Signa insunt, ex quibus coniectura facile fit,
 Duo cum idem faciunt saepe, ut possis dicere,
 Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
 Non quod dissimilis res sit, sed quod qui facit.
 Quae ego esse in illis video, ut confidam fore, ita
 Ut volumus: video eos sapere, intellegere, in loco
 Vereri, inter se amare, scire est liberum
 Ingenium, atque animum: quovis illos tu die
 Reducas. at enim metuas, ne ab re sint tamen
 Omissiores paulo: o noster Demea
 Ad omnia alia aetate sapimus rectius:
 Solum unum hoc vitium affert senectus hominibus,
 Attentiores sumus ad rem omnes, quam sat est:
 Quod illos sat acuet aetas. D. nae nimium modo
 Bonae tuae istae nos rationes Mitio,
 Et tuus iste animus aequus subvortant. M. tace.
 Non fiet: mitte iam istaec: date te hodie mihi:
 Expurge frontem. D. scilicet, ita tempus fert,
 Faciendum est. caeterum hinc cras rus cum filio
 Cum primo lucu. M. immo de nocte cenfeo.
 Hodie modo hilarum fac te. D. & istam psaltriam.
 Vna illuc mecum hinc abstraham. M. pugnaveris.
 Eo pacto illic prorsum adligaris filium.
 Modo ut illam serves facito. D. ego istuc videro atque
 Illi, favillae plena, fumi, apollinis
 Coquendo sit faxo, & molendo: praeter haec,
 Meridie ipso faciam uti stipulam colligat:
 Tam excoactam reddam, atque atram, quam carbo est. M. placet.
 Nunc mihi videre sapere: atque equidem filium
 Tum etiam si nolit, cogas cum illa una cubet.
 D. Derides? fortunatus qui isto animo fies.
 Ego sentio. M. ah, pergisne? D. iam iam desino.
 M. I ergo intro: & cui opus est rei, hilarum hunc sumamus diem.

40 Ita. syllaba posterior
 initio versus sequen-
 tis eliditur.

45

50

55

60

65

Scire est.) Vide *Heauton. Act. secundi sce. II.* ubi quoque *Est* pro *licet* positum est.

ACT. V. SCENA II.

D E M E A.

NUNQUAM ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit;
 Quin res, aetas, usus aliquid semper adportet novi,
 Aliquid moneat, illa ut, quae te scire credas, nescias:
 Et quae tibi putaris prima, in experiundo * repudies:
 Quod mihi nunc evenit. nam ego vitam duram, quam vixi adhuc, 5
 Prope iam excursu spatio, mitto: id quamobrem? reapse repperi
 Facilitate nihil homini esse melius, neque clementia. id
 Esse verum, ex me, atque ex fratre, cuius facile est noscere:
 Vitam ille suam semper egit in otio, in conviviis:
 Clemens, placidus, nulli laedere os, aridere omnibus. 10
 Sibi vixit: sibi sumptum fecit: omnes benedicunt, amant.
 Ille ego agrestis, saevus, tristis, parcus, truculentus, tenax,
 Duxi uxorem: quam ibi miseriam vidi? nati filii,
 Alia cura: porro autem illis dum studeo, ut quam plurimum
 Facerem, contrivi in quaerendo vitam, atque aetatem meam. 15
 Nunc exacta aetate, hoc fructi pro labore ab iis fero,
 Odium: ille alter sine labore patria potitur commoda:
 Illum amant, me fugitant, illi credunt consilia omnia,
 Illum diligunt, apud illum sunt ambo, ego desertus sum,
 Illum ut vivat optant, meam autem mortem expectant. scilicet 20

Troch. Octo. catal.

Tribr. pro Troch.

10

15

20

Ita

V V V V V V V 2

35
 gna

Ita eos meo labore eductos maximo, hic fecit suos
 Paulo sumptu: miseriam omnem ego capio, hic potitur gaudia.
 Age age, nunc experiamur contra haec ecquid ego possiem
 Blande dicere, aut benigne facere, quando eo provocat.
 Ego quobque a meis me amari, & magnipendi postulo.
 Si id fit dando, atque obsequendo, non posteriores feram.
 Deerit: id mea minime refert, qui sum natu maximus.

23

ACT. V. SCENA III.

SYRVS. D E M E A.

HERVS Demea, rogat frater ne abeas longius.
 D. Quis hoc? o Syre noster, salve: quid fit? quid agitur?
 S. Recte. D. optime est. iam nunc haec tria primum addidi
 Praeter naturam. o noster, quid fit? quid agitur?
 Servum haud inliberalem praebes te, & tibi
 Lubens bene faxim. S. gratiam habeo D. atqui Syre hoc
 Verum est, & ipsa re experiere prope diem.

5

Ne abeas longius.) Caenae enim tempus instat. Sic in Heauton. Ego ibo hinc intro, ut videam nobis quid caenae fiet. Tu ut tempus est diei vide sis, ne quo hinc abeas longius.

ACT. V. SCENA IV.

GETA. D E M E A.

HERA ego hinc ad hos provisam quam mox virginem
 Arcessant: eccum Demeam: salvos fies.
 D. Oh, qui vocare? G. Geta. D. Geta, hominem maxumi
 Pretii esse hodie te iudicavi animo meo.
 Nam is mi est profecto servus spectatus satis,
 Cui dominus curae est, ita uti tibi sensi Geta.
 Et tibi ob eam rem, si quid usus venerit,
 Lubens bene faxim: meditor esse affabilis,
 Et bene procedit. G. bonus es, cum haec existimas.
 L. Paulatim plebem primulum facio meam.

5

10

ACT. V. SCENA V.

AESCHINVS. D E M E A. SYRVS. GETA:

OCCIDUNT me, qui dum nimi' sanctas nuptias
 Student facere, apparando consumunt diem.
 D. Quid agitur Aeschine? A E. hem pater mi, tu hic eras?
 D. Tuns hercle vero & animo, & natura pater,
 Qui te plus quam oculos hosce, sed cur non domum
 Vxorem arcessis? A E. cupio, verum hoc mihi morae est,
 Tibicina, & hymenaeum qui cantent. D. eho
 Vin' tu huic seni auscultare? A E. quid? D E M. missa haec face,
 Hymenaeum, turbam, lampadas, tibicinas:
 Atque hanc in horto maceriam iube dirui
 Quantum potest: hac transfer, unam fac domum.
 Traduc & matrem, & familiam omnem ad nos. A E. placet
 Pater lepidissime. D. euge, iam lepidus vocor.
 Fratri aedes fient perviae: turbam domum
 Adducet, sumptum admittet. multa: quid mea:
 Ego lepidus in eo gratiam: iube nunc iam
 Dinumeret illi Babilo viginti minas.

5

10

15

Syr

Senarii.

Senarii.

Senarii.

Qui vocare? Sic CICERO II. de oratore, Nihil est enim de quo inter homines ambigatur, in quo non aut quid factum sit aut fiat, futurum ne sit quaeratur, aut quale sit, aut quid vocetur.

Syre cessas ire, ac facere? S. quid ago? D. dirue:
 Tu illas abi & traduce. G. Di tibi Demea
 Benefaxint, cum te video nostrae familiae 20
 Tam ex animo factum velle. D. dignos arbitror:
 Tu quid ais? AE. sic opinor. D. multo rectius est,
 Quam illam puerperam nunc duci huc per viam
 Aegram. AE. nihil enim vidi melius mi pater.
 D. Sic soleo: sed eccum, Mitio egreditur foras. 25

ACT. V. SCENA VI.

MITIO. DEMEA. AESCHINVS.

IUBET frater? ubi is est? iubes tu hoc Demea?
 D. Ego vero iubeo, & in hac re, & aliis omnibus
 Quam maxime unam facere nos hanc familiam,
 Colere, adiuuare, adiungere. AE. ita quaeso pater.
 M. Haud aliter censeo. D. immo hercle ita nobis decet:
 Primum huius uxori est mater. M. est: quid postea?
 D. Proba, & modesta. M. ita aiunt. D. natu grandior.
 M. Scio. D. parere iam diu haec per annos non potest:
 Nec qui eam respiciat, quisquam est: sola est. M. quam hic rem
 agit?

Senarij

*Iubeo.) Volo. In
 Phormione. Quod
 tempus conveniendi
 patris me capere iu-
 beat. act. v. Sc. IV.*

D. Hanc te aequum est ducere: & te operam, ut fiat, dare. 10
 M. Me ducere autem? D. te. M. me? D. te inquam. M. ineptis. *Iamb. Octon,*
 D. si tu sis homo,
 Hic faciat. AE. mi pater. M. quid? tu asine huic auscultas? D.
 nihil agis.

Fieri aliter haud potest. M. deliras. AE. sine te exorem mi pater.

M. Infans? aufer. D. age, da veniam filio. M. sati' sanus es?
 Ego novu' maritus anno demum quinto & sexagesimo 15
 Fiam, atque antum decrepitam ducam? id ne estis autores mihi?

*Da veniam filio.) Si-
 ne hoc te a filio exo-
 rari. Vide Andriae
 act. v. sc. III.*

AE. Fac: promisi illis. M. promissisti autem? de te largitor puer.
 D. Age, quid si quid te maius oret? M. quasi non hoc sit maximum.
 AE. Age, veniam da. ne gravere. D. fac, promitte. M. non
 omittis?

*Huius versus extrema
 syllaba initium est se-
 quentis.*

AE. Non, ni exorem. M. vis est haec quidem. D. age prolixo
 Mitio. 20

*Prolixo.) Liberaliter.
 In Eunucho. Accipit
 hominem nemo pror-
 fus melius neque pro-
 lixius.*

M. Et si hoc mihi pravum, ineptum, absurdum, atque alienum a
 vita mea

Videatur: si vos tantopere istuc vultis, fiat. AE. bene facis.
 Amo te merito. D. verum, quid ego dicam? hoc confit quod volo;
 Quid nunc, quid restat? Hegio cognatus iis est proximus,
 Affinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi, decet. 25

*Hoc confit quod volo.)
 Incipiunt enim me
 mei amare.*

M. Quid facere? D. agelli hic est sub urbe paulum quod locitas
 foras:

Huic demus, qui fruatur. M. paulum id autem? D. simul tum, tamen
 Faciendum est: pro patre huic est, bonus est, noster est, recte
 datur.

Postremo, non meum illud verbum facio, quod tu Mitio
 Bene, & sapienter dixisti dudum: Vitium commune omnium est, 30
 Quod nimium ad rem in senecta attenti sumus: hanc maculam nos
 decet

*Postremo.) Ad pauca
 ut veniam.*

Effugere: dictum est vere, & re ipsa fieri oportet Mitio.
 M. Quid istuc est? dabitur quidem quando hic volt Aeschine. AE.
 mi pater.

D. Nunc tu mihi es germanus pariter corpore & animo. M. gaudeo.
 D. Suo sibi hunc gladio iugulo. 35

*Aufer.) Id Graeci, ἀπαγε: quo usus quoque TARENTIUS in Eunucho Act. v. Sc. II.
 Neque pot' servandum tibi quidquam dare ausim, neque te servare, apagete.*

XXXXXXXXX

ACT.

ACT. V. SCENA VII.

SYRVS. DEMEA. MITIO. AESCHINVS.

FACTVM est, quod iusti Demea.

*Iambici praecedentis
finis.**Troch. oct. catal.**Hypercatalectic.**Tibra. pro Troch.*

D. Frugi homo es: aedepol hodie mea quidem sententia
Iudico Syrum esse aequum fieri liberum. M. istunc liberum?
Quod nam ob factum? D. multa. S. ô noster Demea aedepol vir
bonus * es. ego

Istos vobis usque a pueris curavi ambos sedulo: 5

Docui, monui, bene praecepi semper quae potui omnia.

D. Res apparet: & quidem haec porro, obsonare, cum fide
Scortum adducere, apparare de die convivium:

Non mediocris hominis haec sunt officia. S. ô lepidum caput.

D. Postremo, hodie in psaltria ista emunda, hic adiutor fuit, 10

Hic curavit: prodesse aequum est. alii meliores erunt.

Denique hic vult fieri. M. vin tu hoc fieri? AE. cupio. M. si quidem

Tu vis, Syre eho accede huc ad me, LIBER ESTO. S. * bene
facis

Omnibu' gratiam habeo, & seorsum tibi praeterea Demea.

DE. Gaudeo. AE. & ego. S. credo. utinam hoc perpetuum fiat
gaudium, ut 15

Phrygiam uxorem meam una mecum videam liberam. D. optimam

Mulierem quidem. S. & quidem nepoti tuo huius filio,

Hodie primam mammam dedit haec. D. hercle vero serio,

Siquidem primam dedit, haud dubium, quin emitti aequum fiet.

M. Ob eam rem? D. ob eam: postremo a me argentum, quanti
est, sumito. 20

S. Di tibi Demea omnes semper omnia optata offerant

M. Syre processisti hodie pulchre. D. siquidem porro Mitio

Tu tuum officium facies, atque huic aliquid paulum prae manu

Dederis, unde * utatur: reddet tibi cito. M. istoc vilis.

AE. Frugi homo est. S. reddam hercle, da modo. AE. age pater.

M. post consulam. 25

D. Faciet. S. o vir optime. AE. o pater mi festivissime.

M. Qui istuc? quae res tam repente mores mutavit tuos?

Quod proluvium? quae istaec subita est largitas? D. dicam tibi:

Vt id ostenderem, quod te isti facilem, & festivum putant,

Id fieri non ex vera vita, neque adeo ex aequo & bono, 30

Ex assentando, indulgendo, & largiendo Mitio.

Nunc adeo si ob eam rem vobis mea vita invisâ Aeschine est,

Quia non iusta iniusta prorsus omnia omnino obsequor:

Missâ facio, effundite, emite, facite quod vobis lubet.

Sed si id vultis potius, quae vos propter adolescentiam 35

Minu' videtis, magis impense cupitis, consulitis parum, haec

Me reprehendere & corrigere, & obsecundare in loco:

Ecce me, qui id faciam vobis. AE. tibi pater permittimus:

Plus scis quid facto opus est: sed de fratre quid fiet? D. sino

Habeat, finem in istac faciat. AE. istuc recte. PLAVDITE. 40

LIBER ESTO.) Inter amicos dari etiam libertas potest. Vide THEOPHILVM
Inst. de libertinis; eaque Manumissio dicitur naturalis.

*Vtinam hoc.) Vtinam hoc vestrum gaudium non interrumpatur. Nam si eritis hilares,
facilius quod peto impetrabo.*

Postremo.) Ne diutius in ea re immoremur.

*In loco.) In tempore. CICERO lib. 1. Off. Stoici, inquit, locum actionis opportunitatem
temporis esse dicunt.*

F I N I S.

CALLIOPIVS RECENSVI.

GOVEANVS RECENSVI.

HE.

HECYRA TERENTII

A B

ANTONIO GOVEANO

DENVO CASTIGATA, LOCIS DIFFICILIORIBVS
EXPLICATA, ACTIBVS, SCENIS, VERSI-
BVSQVE DISTINCTA.

ANTONII GOVEANI

ARGVMENTVM

I N

HECYRAM TERENTII.

PAMPHILVS ADOLESCENS Atticus virginem quam in te-
nebris olim vitiatat, & ex eo compressu gravidam reliquerat, uxo-
rem imprudens ducit: non ita multo post evenit, ut iter ei in Imbrum
esset. Vbi cum menses complures abfuisset, casu eius reditus in id tem-
pus incidit, quo iam uxoris partus instabat prope. Parturienti itaque
apud matrem uxori, eo enim illa confugerat ut partum coelaret, intervenit. Quod
ubi eam parturire cognovit, cum satis sciret ex se gravidam non esse, domum uxo-
rem non reducit, & ut miserae adolescentis adversa teget, patri quamobrem non
reducat, falsas causas fingit. Pater qui intelligeret aliud esse causae quam quod filius
diceret, suspicans ab uxore filium abhorrere, quod cum Bacchide etiam rem eum ha-
bere crederet, meretricem adit, orat, accusat gravius, minitatur denique si Pam-
philum postea admittat. Bacchis ubi se purgavit seni, ut se apud mulieres quoque,
a quibus se non minus putabat accusari, ea suspitione liberaret & expediret, ad eas
rogatu & hortatu senis venit. Pamphilus ei virgini quam olim compresserat, dum
luctabatur, anulum detraxerat, & Bacchidi dono dederat; eum in digito Bacchi-
dis ut vidit Myrrhina Philumenae mater, continuo suae fuisse filiae cognovit. Ita
Pamphilus, adempto ei omni errore, Philumenam lubens reducit.

FABVLAE INTERLOCVTORES.

PHILOTIS *meretrix.*

SYRA *anus.*

PARMENO *servus.*

LACHES *senex.*

PAMPHILVS *adolescens.*

SOSTRATA *mulier.*

PHIDIPPVS *senex.*

MYRRHINA *mulier.*

SOSIAS *servus.*

BACCHIS *meretrix.*

XXXXXXXXX

TE.

TERENTIUM HECYRA

TOTA GRAECA EST APOLLODOROV. EDITA
CN. OCTAVIO, T. MANLIO TORQUATO COSS.

ACTA PRIMO LVDIS ROMANIS

SEX. IVL. CAESARE, CN. CORN. DOLABELLA AEDILIBVS
CVRVLIBVS SINE PROLOGO. NON EST PLACITA. RE-
LATA EST ITERVM LVDIS FVNEBRIBVS L. AEMYLII
PAVLI, NON EST PLACITA TOTA. RELATA EST TER-
TIO Q. FVL. L. MARTIO AEDILIBVS CVRVLIBVS. EGIT
L. AMBIVIVS TVRPIO. MODOS FECIT CLAVDIVS FLAC-
CVS, CL. FIL. TIBIIS PARIBVS. PLACVIT.

PROLOGVS.

Senariff.

HVIC fabulae Hecyra nomen est. haec cum data
Est nova, novum intervenit vitium, & calamitas,
Vt neque spectari, neque cognosci potuerit:
Ita populus studio stupidu', in funambulo
Animum occuparat. nunc haec plane est pro nova: 5
Et is qui scripsit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre, ut iterum possit vendere.
Alias cognostis eius, quaeso hanc noscite.
Orator ad vos venio ornatu prologi:
Sinite exorator sim: eodem ut iure uti senem 10
Liceat, quo iure sim usus adolescentior,
Novas qui exactas fecit ut inveterascerent,
Ne cum poëta scriptura evanesceret.
In iis, quas primum Caecili didici novas, 15
Partim sum earum exactus, partim vix steti.
Quia scibam dubiam fortunam esse Scenicam,
Spe incerra certum mihi laborem sustuli:
Easdem agere coepi, ut ab eodem alias discerem
Novas studiose, ne illum ab studio abducerem. 20
Perfeci ut spectarentur: ubi sunt cognitae,
Placitae sunt: ita poëtam restitui in locum,
Prope iam remotum iniuria adversarium
Ab studio, atque ab labore, atque arte Musica.
Quod si scripturam sprevissem in praesentia, & 25
In deterrendo voluissem operam sumere,
Vt in otio esset potius, quam in negotio,
Deterruisse facile, ne alias scriberet.
Nunc quid petam, mea causa, aequo animo attendite.
Hecyram ad vos refero, quam mihi per silentium 30
Nunquam agere licitum est, ita eam oppressit calamitas.
Eam calamitatem vestra intelligentia
Sedabit, si erit adiutrix nostrae industriae.
Cum primum eam agere coepi, pugilum gloria,
Funambuli eodem adcessit expectatio,
Comitum conventus, strepitus, clamor mulierum, 35
Fe-

Fecere, ut ante tempus exirem foras.
 Vetere in nova coepi uti consuetudine,
 In experiundo ut essem: refero denuo.
 Primo actu placeo: cum interea rumor venit
 Datum iri gladiatores, populus convolat:
 Tumultuantur, clamant, pugnant de loco.
 Interea ego meum non potui tutari locum.
 Nunc turba nulla est: otium, & silentium est:
 Agendi tempus mihi datum est: vobis datur
 Potestas condecorandi ludos Scenicos.
 Nolite sinere per vos artem Musicam
 Recidere ad paucos: facite ut vestra autoritas
 Meae autoritati faulrix, adiulrixque sit.
 Si nunquam avare statui pretium arti meae,
 Et eum esse quaestum, in animum induxi, maximum,
 Quammaxime servire vostris commodis,
 Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
 Studium suum, & se in vestram commisit fidem:
 Ne eum circumventum inique iniqui irrideant.
 Mea causa causam hanc accipite, & silentium
 Date, ut libeat scribere aliis, mihi que ut discere
 Novas expediat posthac, pretio emptas meo.

40

45

50

55

ACT. I. SCENA I.

PHILOTIS *meretrix.* SYRA *anus.*

PERPOL quam paucos reperias meretricibus
 Fideleis evenire amatores, Syra.
 Vel hic Pamphilu' iurabat quoties Bacchidi,
 Quam sancte, ut quivis facile posset credere,
 Nunquam illa viva ducturum uxorem domum:
 Hem duxit. S. ergo propterea te sedulo
 Et moneo, & hortor, ne cuiusquam misereat,
 Quin spolies, mutiles, laceres, quemquem nacta sis.
 P. Vti ne eximium neminem habeam? S. neminem:
 Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit,
 Quin ita paret sese, abs te ut blanditiis suis,
 Quamminimo pretio suam voluptatem expleat.
 Iiscine tu amabo, non contra insidiabere?
 P. Tamen eandem pol esse omnibus iniurium est.
 S. Iniurium est autem, ulcisci adversarios?
 Aut qua via captent te illi, eadem ipsos capi?
 Eheu, me miseram, cur non aut istaec mihi
 Aetas & forma est, aut tibi haec sententia?

Senarii.

5

10

15

ACT. I. SCENA II.

PARMENO *servus.* PHILOTIS. SYRA.

SENE X si quaeret me, modo isse dicito
 Ad portum percontatum adventum Pamphili.
 Audin' quid dicam Scirte? si quaeret me, uti
 Tum dicas: si non quaeret, nullus dixeris.
 Alias ut uti possim causa hac integra.
 Sed video ne ego Philotin? unde haec advenit?
 Philoti salve multum. PH. o salve Parmeno.
 SY. Salve mecastor Parmeno. PA. & tu aedepol Syra.
 Dic mihi Philoti ubi te oblectasti tam diu?

Senarii.

5

Aepol hic quoque legendum videtur, non aedepol.

PH.

Y y y y y y

PH. Minime me equidem oblectavi, quae cum milite
 Chorintum hinc sum profecta inhumanissimo: 10
 Biennium ibi perpetuum misera illum tuli.
 PA. Te desiderium aedepol Athenarum arbitror
 Philotion cepisse saepe, & te tuum
 Consilium contempsisse. PH. non dici potest, 15
 Quam cupida eram huc redeundi, abeundi a milite,
 Vosque hic videndi, antiqua ut consuetudine
 Agitarem inter vos libere convivium.
 Nam ibi haud licebat, nisi praefinito, loqui
 Quae illi placerent. PA. haud opinor commode 20
 Finem statuissè orationi militem.
 PH. Sed quid negoti est, modo quod narravit mihi
 Hic intus Bacchis? quod ego nunquam credidi
 Fore, ut ille hac viva posset animum inducere
 Vxorem habere. PA. habere autem? PH. eho tu, an non ha- 25
 bet?
 PA. Habet, sed firmæ hae vereor ut sint nuptiae.
 PH. Ita Di Deaque faxint, si in rem est Bacchidis.
 Sed qui istuc credam ita esse? dic mihi Parmeno.
 PA. Non est opus prolato: hoc percontarier
 Desiste. PH. nempe ea causa, ut ne id fiat palam. 30
 Ita me Di amabunt, haud propterea te rogo, ut
 Hoc proferam: sed tacita ut mecum gaudeam.
 PA. Nunquam dices tam commode, ut tergum meum
 Tuam in fidem committam. PH. ah, noli Parmeno:
 Quasi non tu multo malis narrare hoc mihi, 35
 Quam ego quae perconter, scire. PA. vera haec praedicat,
 Et mi illud maximum vitium est: si mihi fidem
 Das te taciturnum, dicam. PH. ad ingenium redis:
 Fidem do, loquere. PA. ausculca. PH. istic sum. PA. hanc Bac- 40
 chidem
 Amabat, ut cum maxime, cum Pamphilus,
 Cum pater uxorem ut ducat orare occipit,
 Et haec, communia omnium quae sunt patrum,
 Sese senem esse, dicere, illum esse unicum,
 Praesidium velle se senectuti suae: 45
 Primo ille se negare: sed postquam acrius
 Pater instat, fecit animi ut incertus foret,
 Pudori ne, an ne amor obsequeretur magis.
 Tundendo, atque odio denique efficit senex:
 Despondit gnatam ei huius vicini proxumi. 50
 Vsque illud visum est Pamphilo grave neutiquam,
 Donec iam in ipsis nuptiis, postquam videt
 Paratas, nec moram ullam, quin ducat, dari.
 Ibi demum ita aegre tulit, ut ipsam Bacchidem,
 Si adesset, credo ibi eius commiseresceret. 55
 Vbicumque datum erat spatium solitudinis,
 Vt conloqui mecum una posset, Parmeno,
 Perii, quid ego egi? in quod me conieci malum?
 Non potero hoc ferre Parmeno, perii miser.
 PH. At te Di, Deaque perdant cum isto odio Laches. 60
 PA. Ad pauca ut redeam, uxorem deducit domum.
 Nocte illa prima virginem non attigit.
 Quae consecuta est nox, ea nihilo magis.
 PH. Quid ais? cum virgine una adolescens cubuerit
 Plus potus, sese illa abstinere ut potuerit? 65
 Non verisimile dicis, nec verum arbitror.
 PA. Credo ita videri tibi. nam nemo ad te venit,
 Nisi cupiens tui. ille invito' illam duxerat. PH.

Istic sum.) Istuc ago.

PH. Quid deinde fit? P A. diebus sane pauculis
 Post, Pamphilus me solum seducit foras,
 Narratque, ut virgo a se integra etiam tum fiet: 70
 Seque antea, quam eam uxorem duxisset domum,
 Sperasse eas tolerare posse nuptias.
 Sed quam decrerim me non posse diutius
 Habere, eam ludibrio haberi Parmeno,
 Quin integram itidem reddam, ut accepi a suis, 75
 Neque honestum mihi, neque utile ipsi virgini est.
 P H. Pium, ac pudicum ingenium narras Pamphili.
 P A. Hoc ego proferre, incommodum esse mi arbitror:
 Reddi patri autem, cui tu nil dicas viti,
 Superbum est. sed eam spero, ubi hoc cognoverit, 80
 Non posse se mecum esse, abituram denique.
 P H. Interea, ibat ne ad Bacchidem? P A. quotidie.
 Sed, ut fit, postquam hunc alienum ab sese videt,
 Maligna multo, & magi' procax facta illico est.
 P H. Non aedepol mirum. P A. atqui ea res multo 85
 Disiunxit illum ab illa, postquam & ipse se
 Se, & illam, & hanc, quae domi erat, cognovit fatis,
 Ad exemplum ambarum mores earum aestimans,
 Haec, ita uti liberali esse ingenio decet,
 Pudens, modesta: incommoda atque iniurias 90
 Viri omneis ferre, & tegere contumelias,
 Hic animus partim uxoris misericordia
 Deviçtus, partim victu' huiusce iniuriis,
 Paulatim elapsus Bacchidi, atque huic transtulit
 Amorem: postquam par ingenium nactus est. 95
 Interea in Imbro moritur cognatus senex
 Horum: ea redibat lege ad hos haereditas.
 Eo amantem invitum Pamphilum extrudit pater:
 Relinquit cum matre hic uxorem: nam senex
 Rus abdidit se: huc raro in urbem com meat. 100
 P H. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiae?
 P A. Nunc audies: primum, dies complusculos
 Bene conveniebat sane inter eas: interim
 Miris modis odisse coepit Sofstratam:
 Neque lites ullae inter eas, postulatio 105
 Nunquam. P H. quid agitur? P A. si quando ad eam accesserat
 Confabulatum, fugere e conspectu illico:
 Videre nolle: denique ubi non quit pati,
 Simulat se a matre accersi ad rem divinam, abit.
 Vbi ibi est dies complureis, accersi iubet: 110
 Dixere causam tunc nescio quam: iterum iubet,
 Nemo remisit. postquam arcessunt saepius,
 Aegram esse simulant mulierem: nostra illico
 It visere, ad eam admisit nemo: hoc ubi senex
 Rescivit: heri ea causa rure advenit huc, 115
 Patrem continuo convenit Philumena.
 Quid egerint inter se, nondum etiam scio.
 Nisi sane curae est, quorsum eventurum hoc fiet.
 Habes omnem rem. pergam quo coepi hoc iter. 120
 P H. Et quidem ego. nam constitui cum quodam hospite,
 Me esse illum conventuram. P A. Di vortant bene
 Quod agas. P H. Vale. P A. & tu bene vale Philotion.

*Ludibrio haberi.)
 Ludificari, vitiare.
 In Eunucbo, Quin
 insuper etiam scelus
 posteaquam ludifica-
 tus est virginem.*

*Et hic aepol, non
 aedepol.*

*Lege.) Non testa-
 mento.*

Nisi pro sed.

ACT. II. SCENA I.

LACHES *senex.* SOSSTRATA *mulier.**Ob. Iamb.*

PRO Deum atque hominum fidem, quod hoc genus est, quae haec
coniuratio,

Vt omnes mulieres eadem aequae studeant, nolintque omnia,
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio ullam reperias?

Itaque adeo uno animo omnes focrus oderunt nurus. viris

Esse aduersas aequae studium est, similis est pertinacia. 5

In eodem omnes mihi videntur ludo doctae ad malitiam. &

Ei ludo, si ullus est, magistrum hanc esse sati' certo scio.

SO. Me miseram, quae nunc quamobrem accuser, nescio. L. hem,

Tu nescis? S. Non, ita me Di bene ament, mi Laches.

Itaque una inter nos agere aetatem liceat. LA. Di mala probi-
beant. 10

S. Meque abs te immerito esse accusatam post modo rescisces.

LA. scio.

Te immerito? an quidquam pro istis factis dignum te dici potest?

Quae me, & te, & familiam dedecoras, filio luctum paras:

Tum autem, ex amicis inimici ut sint vobis affines, facis:

Qui illum decrerunt dignum, suos cui liberos committerent. 15

Tu sola exorere, quae perturbas haec tua impudentia.

S. Egone? L. tu inquam mulier, quae me omnino lapidem, haud
hominem putas:

An quia ruri esse crebro soleo, nescire arbitramini

Quo quisque pacto hic vitam vestrorum exigat?

Multo melius hic quae fiunt, quam illic ubi sum assidue, scio: 20

Ideo quia uti vos mihi domi eritis, proinde ego ero foris.

Iam pridem equidem audivi cepisse odium tui Philumenam.

Minimeque adeo mirum. & ni id fecisset, magis mirum foret.

Sed non credidi adeo, ut etiam totam hanc odisset domum.

Quod si scissem, illa hic maneret potius, tu hinc isse foras. 25

At vide quam immerito aegritudo haec oritur mi abs te Sostrata.

Rus habitatum abii, concedens vobis, & rei serviens,

Sumptus vestros, otiumque ut nostra res posset pati,

Meo labori haud parcens praeter aequum, atque aetatem meam.

Non te pro his curasse rebus, nequid aegre esset mihi? 30

S. Non mea opera, neque pot culpa evenit. L. immo maxime.

Sola hic fuisti: in te omnis haeret culpa sola, Sostrata:

Quae hic erant, curares: cum ego vos solvi curis caeteris.

Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet?

Illius dices culpa factum. SOST. haud equidem dico mi Laches. 35

LA. Gaudeo (ita me Dei ament) gnati causa. nam de te quidem,

Sati' scio, peccando detrimenti nil fieri potest.

S. Qui scis, an ea causa mi vir odisse assimulaverit,

Vt cum matre una plus esset? L. quid ais? non signi fat est,

Quod heri nemo voluit visentem te ad eam intromittere? 40

S. Eam lassam oppido tum aiebant: eo ad eam non admissa sum.

L. Tuos esse illi mores morbum magis, quam ullam aliam rem ar-
bitror.

Et merito adeo. nam vestrarum nulla est, quin gnatum velit

Ducere uxorem. & quae vobis placita conditio est, datur.

Vbi duxere impulsu vestro, vestro impulsu easdem exigunt. 45

ACT. II. SCENA II.

PHIDIPPVS *senex.* LACHES. SOSSTRATA.*Iamb. ob. catol.*

ET si scio Philumena meum ius esse, ut te cogam

Quae ego imperem facere: ego tamen patrio victu' animo, faciam 46

Vt tibi concedam. neque tuae libidini adversabor.

L. A. Atque eccum Phidippum optume video, hinc iam scibo quid sit.

Phidippe, etsi ego meis omnibus scio me apprime obsequentem, 5

Sed non adeo, ut facillitas mea illorum corrumpat * animos:

Tibr. pro Iambo.

Quod si tu idem faceres, magis in rem & nostram, & vosram id esset.

Nunc video, in illarum potestate esse te. P. eia vero:

L. Adii te heri de filia: ut veni, itidem incertum amisti.

Haud ita decet, si perpetuam vis esse affinitatem hanc, 10

Coelare te iras. si quid est peccatum a nobis, profer:

Aut ea refellendo, aut purgando, vobis corrigemus,

Te iudice ipso, sin ea est causa retinendi apud vos,

Quia aegra est: te mi iniuriam facere arbitror Phidippe,

Si metuis, satis ut meae domi curetur diligenter. 15

At (ita me Dei ament) haud tibi hoc concedo, etsi illi pater es,

Vt tu illam salvam magi' velis, quam ego: id adeo gnati causa,

Quem ego intellexi illam haud minus, quam seipsum magnificare.

Neque adeo me clam est, quam esse eum graviter laturum credam,

Hoc si rescierit. eo domum studeo haec priu', quam ille huc, re- 20

deat.

P. Laches, & diligentiam vestram, & benignitatem

Novi: & quae dicis, omnia esse ut dicis, animum induco.

Et te hoc mihi cupio credere: illam ad vos redire studeo,

Si facere possim ullo modo. L. quae res te facere id prohibet?

Eho nunquidnam accusat virum? P. H. minime: nam post quam at- 25

tendi

Magis, & vi coepi cogere ut rediret, sancte adiurat

Non posse apud vos Pamphilo se absente perdurare.

Aliud fortasse aliis vitii est: sum ego animo leni natus,

Non possum advorsari meis. L. hem Sostrata. S. heu me miseram.

L. Certumne est istuc? P. H. nunc quidem ut videtur: sed nunquid 30

vis?

Nam est quod me transire ad forum iam oportet. L. eo tecum una.

ACT. II. SCENA III.

S O S T R A T A.

AEDIPOL nae nos sumu' iniquae, aequae, omnes invisae viris

Iamb. oct. catal.

Propter paucas: quae omnes faciunt, dignae ut videamur malo.

Nam (ita me ament Di) quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam,

Sed non facile est expurgatu: ita animum induxerunt, socrus

Omneis esse iniquas. haud, pol me, equidem: nam nunquam secus 5

Habui illam, ac si ex me esset nata: nec qui hoc mi eveniat, scio.

Nisi pol filium multis modi' iam exspecto, ut redeat domum.

Haud pol me equidem.) Cum antea legeretur *Quidem*, ego a versu admonitus *Equidem* reposui: neque tamen tum videbam, quid locus sententiae haberet: Interpretis enim illud, subaudiendum *Scio esse* non placebat: & tamen quid dicerem aliud non habebam. Postea vero cum de eo loco rogasset me AEMYLIUS FERRETTVS, cepissemque cogitandi tempus, id mihi dicere visa est Sostrata, *Ita me pol tuvet, ut ego quidem nurui iniqua non sum*: Itaque ut vides, orationem interpungi placuit. *Pol me*, dici ut, *Me Hercules*, potest, ut *me castor* quo usus est *act. primi, scena secunda.*

ACT. III. SCENA I.

PAMPHILVS *adolescens.* PARMENO.

MYRRHINA *mulier.*

NEMINI ego plura acerba esse ex amore homini nunquam oblata 5

Oct. Iambi.
Versus primi extrema syllab. initium est sequentis.

credo,

Quam mi: heu me infelicem, hancine ego vitam parsi perdere?

Z z z z z z z

Ha-

Hacine ego caussa eram tantopere cupidus redeundi domum?
 Cui quanto fuerat praestabilius aetatem ubi vis gentium agere,
 Huc quam redire? atque haec ita esse miserum me resciscere? 5
 Nam nos omnes, quibus alicunde aliquis obiectus est labos,
 Omne quod est interea tempus, prius quam id rescitum est, lucro est.
 PAR. At sic, qui te citius expedias his aerummis, reperias.
 Hae irae factae ampliores essent multo rediisses nisi.
 Sed ambas nunc adventum tuum Pamphile reverituras scio. 10
 Rem cognosces: iram expedies: restitues rursus in gratiam:
 Levia sunt haec, quae tu pergravia esse in animum induxti tuum.
 PAM. Quid consolare me? an quisquam usquam gentium est aequae
 miser?

Prius quam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum:
 Iam in hac re ut taceam, cuius facile scitu quam fuerim miser, 15
 Tamen nunquam ausus sum recusare eam, quam mi obtudit pater.
 Vix me illi abstraxi, atque impetiturum in ea, expedivi animum meum.
 Vixque huc contuleram, hem nova res orta est, porro ab hac quae
 me abstrahat?

Tum matrem ex ea re, aut uxorem me in culpa inventurum arbitror.
 Quod ita esse cum invenero, quid restat, nisi porro ut fiam miser? 20
 Nam matris ferre iniurias me Parmeno pietas iubet:
 Tum uxori obnoxius sum: ita olim suo me ingenio pertulit:
 Tot meas iniurias: quae nunquam in ullo patefecit loco.
 Sed magnum nescio quid necesse est evenisse Parmeno,
 Unde ira inter eas intercessit, quae tam permansit diu. 25
 PAR. Hoc hercle quidem parvum est. sis vero veram rationem exequi,
 Non maxumae, quae maxumae sunt interdum irae, iniuriae
 Faciunt: nam saepe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est,
 Cum de eadem caussa est iracundus factus inimicissimus:

Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iras gerunt? 30
 Quapropter? quia enim qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
 Itidem mulieres sunt ferme, ut pueri, levi sententia:
 Fortasse unum aliquod verbum hanc inter eas iram conciverit.
 PAM. I Parmeno intro, ac me venisse nuncia. PAR. hem, quid
 hoc? PAM. tace:

Trepidari sentio, cursari rursus prorsum: agendum, ad fores 35
 Accede propius. PAR. hem, sensistin? P. noli fabularier:
 Pro Iuppiter, clamorem exaudio. PAR. tute loqueris: me vetas.
 M. Tace obsecro mea gnata. PAM. matris vox visa est Philumena.
 Nullus sum. PAR. qui dicitur? PAM. perii. PAR. quamobrem?
 PAM. nescio quod magnum malum

Profecto Parmeno me coelas. PAR. uxorem Philumenam 40
 Pavitare nescio quid nam dixerunt: id si forte est, nescio.
 PAM. Interii: cur mihi id non dixisti? PAR. quia non poteram
 una omnia.
 PAM. Quid morbi est? PAR. nescio. PAM. quid? nemon' me-
 dicum adduxit? PAR. nescio.
 PAM. Cesso hinc ire intro, ut hoc quam primum, quidquid est,
 certum sciam?

Quo nam modo Philumena mea nunc te offendam affectam? 45
 Nam si periculum ullum in te est, periisse me una haud dubium est.
 PAR. Non usus factus est mihi nunc hunc intro sequi:
 Nam invisos omnes nos esse illis sentio.

Here nemo voluit Sofstratam intro admittere.
 Si forte morbus amplior factus fiet, 50
 Quod sane nolim, maxime heri caussa mei:
 Servom illico introisse dicent Sofstratae:
 Aliquid tulisse comminiscuntur mali
 Capiti, atque saluti illorum, morbus qui auctu' sit.
 Hera in litem veniet, ego in magnum malum. 55

ACT.

Obtudit pater.) Obtudit antea legebatur, genere dicendi Terentiano maxime: sic enim in *Andria*, ea quoniam obtudi nemini potest, itur ad me. Verum cum actus primi *Scena II. tundendo*, atque odio effecisse Senem Parmeno dicat, filio ut vicini sui filiam desponderet, visum mihi est, non ineleganter *Obtudit* legi posse: in hanc sententiam, quam mihi tundendo despondit pater,

Fabularier.) Loqui, Sic enim versu sequente, *Tute loqueris, me vetas.*

Catalectici duo.

Senarii.

ACT. III. SCENA II.

SOSTRATA. PARMENO. PAMPHILVS.

NESCIO quid iamdudum hic audio tumultuari misera:
 Male metuo, ne Philumenae magis morbus aggravescat:
 Quod te Aesculapi, & te Salus, nequid sit huius, oro.
 Nunc ad eam visam. PAR. heus Sostrata. S. ehem.
 PAR. iterum istinc excludere. 5
 S. Ehem Parmeno tune hic eras? perii, quid faciam misera?
 Non visam uxorem Pamphili, cum in proximo hic sit aegra?
 PAR. Non visas, nec mittas quidem visendi causam quenquam:
 Nam qui amat, odio cui ipse est, bis facere stulte duco:
 Laborem inanem ipse capit, & illi molestiam affert. 10
 Tum autem filii tuus introit videre, ut venit, quid agat.
 S. Quid ais? an venit Pamphilus? PAR. venit. S. Dis habeo grates.
 Hem istoc verbo animus mihi rediit, & cura ex corde excessit.
 PAR. Iam ea te causa maxime huc nunc introire nolo.
 Nam si remittent quidpiam Philumenae dolores. 15
 Omnem rem narrabit, scio, continuo sola soli,
 Quae inter vos intervenit: unde ortum est initium irae huius.
 Atque eccum, video ipsum egredi: quam tristis. S. o mi gnate.
 PAM. Mea mater salve. S. gaudeo venisse salvum: salvum
 Philumena est? PAM. meliuscule est. S. utinam istuc ita Di faxint. 20
 Quid tu igitur lacrimas? aut quid es tam tristis? PAM. recte mater.
 S. Quid fuit tumulti? dic mihi: an dolor repente invasit?
 PAM. Ita factum est. S. quid morbi est? PAM. febris: S. quoti-
 diana? PAM. ita aiunt.
 I fodes intro, consequar iam te mea mater. S. fiat.
 PAM. Tu pueris curre Parmeno obviam, atque his onera adiuta. 25
 PAR. Quid? non sciunt ipsi viam, domum qua redeant? PAM.
 cessas?

ACT. III. SCENA III.

PAMPHILVS.

NEQVEO mearum rerum initium ullum invenire idoneum,
 Vnde exordiar narrare, quae nec opinanti accidunt,
 Partim quae perspexi iis oculis, partim quae accepi auribus,
 Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.
 Nam modo me intro ut corripui timidus, alio suspicans 5
 Morbo me visurum affectam, ac sensi esse uxorem: hei mihi,
 Postquam me adspexere ancillae advenisse, illico simul
 Laetae exclamant, venit, id quod me repente aspexerant.
 Sed continuo voltum earum sensi immutari omnium,
 Quia tam incommode illis fors obtulerat adventum meum. 10
 Forte una illarum interea propere praecurrit nuntians
 Me venisse: ego eiu' videndi cupidus, recta consequor.
 Posteaquam introii extemplo eius morbum cognovi miser;
 Nam neque ut caelari posset, tempus spatium ullum dabat.
 Neque voce alia, ac res monebat, ipsa poterat conqueri. 15
 Postquam aspexi, o facinus indignum inquam, & corripui illico
 Me inde lacrumans, incredibili re, atque atroci percitus.
 Mater consequitur: iam ut limen exirem, ad genua accidit
 Lacrumans misera: miseritum est: profecto hoc sic est, ut puto:
 Omnibu' nobis ut res dant sese, ita magni, atque humiles sumus. 20
 Hanc habere orationem mecum a principio institit.
 O mi Pamphile, abs te quamobrem haec abierit, causam vides.

Z z z z z z z z

Nam

Trocb. eds. catal.

Aut legendum est
Caetera, aut Caeterum
pro Caeterum.

Tribr. pro Troch.

Senarii. Iamb.

Crebro exaudiat.)
Crebro enim conqueri
parturientes solent.

Nam vitium est oblatum virgini olim ab nescio quo improbo:
Nunc huc confugit, te atque alios partum ut coelaret suum.
Sed cum orata eius reminiscor, nequeo quin lacrumem miser: 25
Quaequae Fors fortuna est inquit, nobis quae te hodie obtulit,
Per eam te obsecramus ambae, si ius, si fas est, uti
Adversa eius per te tecta, tacitaque apud omnes sient:
Si unquam erga te animo esse amico sensisti eam, mi Pamphile:
Sine labore hanc gratiam te, uti sibi des pro illa nunc, rogat. 30
Caeterum de redducenda facias, quod in rem sit tuam,
Parturire eam, neque gravidam esse ex te solus conscius.
Nam aiunt tecum post duobus concubuisse eam mensibus.
Tum postquam ad te venit, mensis hic agitur iam septimus,
Quod te scire ipsa indicat res. nunc si potis est Pamphile, 35
Maxime volo, doque operam, ut clam partus eveniat patrem,
Atque adeo omneis: sed si fieri id non potest quin sentiant,
Dicam abortum esse: scio nemini aliter suspectum fore,
Quin, quod verisimile est, ex te recte eum natum putent.
Cotinuo exponetur: hic tibi nihil est quidquam incommodi: 40
Et miserae illi indigne factam iniuriam contexeris.
Pollicitus sum, & servare in eo certum est, quod dixi, fidem.
Nam de redducenda, id vero neutiquam honestum esse arbitror:
Nec faciam: etsi amor me graviter, consuetudoque * tenet.
Lacrumo, quae posthac futura est vita, cum in mentem venit, 45
Solitudoque. O fortuna ut nunquam perpetuo es bona.
Sed iam prior amor me ad hanc rem exercitatum reddidit.
Quem ego consilio missum feci, item nunc operam huic dabo.
Adest Parmeno cum pueris: hunc minime est opus 50
In hac re adesse: nam olim soli credidi
Ea me abstinuisse in principio, cum data est:
Vereor si clamorem eiu' hic crebro exaudiat,
Ne parturire eam intellegat: aliquo mihi est
Hinc ablegandus, dum parit Philumena.

ACT. III. SCENA IV.

PARMENO. SOSIA. PAMPHILVS.

Senarii.

AIN' tu tibi hoc incommodum evenisse iter?
S. Non hercle Parmeno verbis dici potest
Tantum, quam re ipsa navigare incommodum est.
PAR. Ita ne est? S. ô fortunate, nescis quid mali 5
Praeterieris, qui nunquam es ingressus mare.
Nam alias ut omittam miseras, unam hanc vide:
Dies triginta, aut plus eo in navi fui,
Cum interea semper mortem exspectabam miser:
Ita usque adversa tempestate usi sumus.
PAR. Odiosum. S. haud clam me est. denique hercle aufugerim 10
Potius, quam redeam, si eo mi redeundum fiet.
PAR. Olim quidem te caussae impellebant leves,
Quod nunc minitare facere, ut faceres Sosia.
Sed Pamphilum ipsum video stare ante ostium.
Ite intro. ego hunc adibo, si quid me velit. 15
Here etiam nunc tu hic stas? PAM. te equidem exspecto. PAR.
quid est?
PAM. In arcem transcurso opus est. PAR. cui homini? PAM. tibi.
PAR. In arcem? quid eo? PAM. Callidemidem hospitem
Myconium, qui mecum una advectu' est, conveni.
PAR. Perii, vovisse hunc dicam, si salvos domum 20
Redisset unquam, ut me ambulando rumperet?
PAM. Quid cessas? PAR. quid vis dicam? an conveniam modo?
PAM.

PAM. Imo quod constitui me hodie conventurum eum,
Non posse, ne me illic frustra expectet, vola.

*Imo quod anapaestus,
vide vers. ult. Sce.
iv. Act. iv. vide He-
cy. sce. ultima.*

PAR. At non novi hominis faciem. PAM. at faciam ut noveris. 25

Magnus, rubicundus, crispus, crassus, caesius.

PAR. Cadaverosa facies. Di illum perduint.

Quid si non veniet? maneam ne usque ad vesperum?

PAM. Maneto, curre. PAR. non queo. ita defessu' sum. 30

PAM. Ille abiit. quid agam infelix? prorsus nescio,

Quo pacto hoc coelem, quod me oravit Myrrina

Suae gnatae partum. nam me miseret mulieris.

Quod potero faciam: tamen, ut pietatem colam.

Nam me parenti potiu', quam amori meo obsequi

Oportet. at at at eccum, Phidippum, & patrem

Video. horsum pergunt: quid dicam iisce, incertu' sum. 35

*Vt pietatem.) Ne
patri sine causa ad-
versari videar,*

ACT. III. SCENA V.

LACHES. PHIDIPPVS. PAMPHILVS.

DIXTIN dudum dixisse illam se expectare filium?

Trocb. o3, catal.

PH. Factum. L. venisse aiunt. redeat. PAM. quam causam dicam
patri,

Quamobrem non reducam, nescio. L. quem ego hic audivi loqui?

PAM. Certum obfirmare est viam me, quam decrevi persequi.

L. Ipfus est, de quo hoc agebam tecum. PAM. salve mi pater. 5

L. Gnate mi salve. PH. bene factum te advenisse Pamphile,

Atque adeo, quod maximum est, salvum atque validum. PAM.

creditur.

L. Advenis modo? PAM. admodum. L. cedo, quid reliquit Phania

Consobrinus noster? PAM. sane hercle homo voluptati obsequens

Fuit, dum vixit. & qui sic sunt, haud multum haeredem adiuvant. 10

Sibi vero hanc laudem relinquunt, Vixit, dum vixit, bene.

L. Tum tu igitur nihil attulisti huc plus una sententia?

PAM. Quidquid est id, quod reliquit, profuit nobi'. L. immo ob-

fuit.

Nam illum vivum, & salvum vellem. PH. impune optare istuc licet.

Ille reviviscit iam nunquam. & tamen utrum malis, scio. 15

L. Here Philumenam ad se arcessi hic iussit. dic iussisse te.

PH. Noli fodere: iussi. L. sed iam eam remittet. PH. scilicet.

PAM. Omnem rem scio, ut sit gesta. adveniens audivi omnia. L. at.

Istos invidos Di perdant, qui haec libenter nuntiant.

PAM. Ego me scio cavisse, ne ulla merito contumelia 20

Fieri a vobis posset: idque si nunc memorare hic velim,

Quam fideli animo, & benigno in illam, & clementi fui,

Vere possim: ni te ex ipsa id magi' velim resciscere.

Nanque eo pacto maxime apud te meo erit ingenio fides,

Cum illa, quae nunc in me iniqua est, aequa de me dixerit. 25

Neque culpa evenisse dissidium hoc mea, id testor deos.

Sed quando sese indignam esse deputat matri meae,

Quae concedat, cuiu' que toleret mores sua modestia:

Neque alio pacto potest componi inter eas gratia:

Segreganda aut mater a me est Phidippe, aut Philumena. 30

Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi.

L. Pamphile ad aures, haud invito sermo mihi accessit tuus.

Cum te post putasse omnes res prae parente intellego.

Verum vide, ne impulsus ira prave insistas Pamphile.

PAM. Quibus iris nunc impulsus in illam iniquu' sim?

Quae nunquam quidquam erga me commerita est pater,

Quod nollem: & saepe, quod vellem, meritam scio. 35

*Indignam.) Sic in
Eunucho, Eam & si
ego digna maxime
haec contumelia sum,
at tu indignus qui fa-
ceres tamen. Atque
ita in sequente ver-
su, Quae non Cut
scribi voluimus,*

35 Senarii,

Amoque, & laudo, & vehementer desidero.
 Nam fuisse erga me miro ingenio, expertu' sum.
 Illique exopto, ut reliquam vitam exigat 40
 Cum eo viro, me qui sit fortunatior:
 Quandoquidem illam a me distrahit necessitas.
 PH. Tibi id in manu est, ne fiat. L. si sanus fies,
 Redire illam iube. PAM. non est consilium pater.
 Matris servibo commodis. L. quo abis? mane, 45
 Mane inquam. quo vadis? PH. quae haec pertinacia est?
 L. Dixi Phidippe hanc rem aegre laturum esse eum?
 Quamobrem te orabam, ut filiam remitteres.
 PH. Non credidi aedepol adeo inhumanum fore:
 Ita nunc is sibi me supplicaturum putat. 50
 Si est, ut velit reducere uxorem, licet:
 Sin alio est animo, renumeret dotem huc, eat.
 L. Ecce autem tu quoque proterve iracundus es.
 PH. Percontumax redisti huc nobis Pamphile.
 L. Decedet iam ira haec, etsi merito iratus est. 55
 PH. Quia paulum vobis accessit pecuniae,
 Sublati animi sunt. L. etiam mecum litigas?
 PH. Deliberet, renuncietaque hodie mihi,
 Velitne, an non. ut alii, si huic non sit, fiet.
 L. Phidippe ades, audi paucis. abiit: quid mea? 60
 Postremo inter se transigant ipsi, ut lubet:
 Quando nec gnatu', neque hic mihi quidquam obtemperant:
 Quae dico parvipendunt. porto hoc iurgium ad
 Vxorem: cuiu' haec sunt consilio omnia.
 Atque in eam hoc omne, quod mihi aegre est, evomam. 65

ACT. IV. SCENA I.

MYRRHINA. PHIDIPPVS.

O3. Iamb.

Ultima secundi ver-
sus huius syl. initium
est sequentis.

Dimeter.

Troch. Octo. cataf.

O3. Iamb.

Versus huius, 17. ex-
trema syl. a prima se-
quentis absumitur, &
sequentis extrema
posterioris quoque
initium.Miseria.) Innocens
sum.

PERII, quid agam? quo me vortam? quid meo respondebo viro
 Misera? nam visus est vocem audivisse pueri vagientis?
 Ita corripuit de repente tacitus sese ad filiam.
 Quod si resciverit peperisse, eum id qua caussa clam habuisse me
 Dicam, non aedepol scio. 5
 Sed ostium concrepuit: credo ipsum ad me exire: nulla sum.
 P. Vxor ubi me ad filiam ire sensit, se duxit foras.
 Atque eccam, video. quid agis Myrrhina? heus tibi dico. M. mihi
 Mi vir? P. vir ego tuus? tu virum me, aut adeo hominem esse de-
 putas? 10
 Nam si utrumvis horum mulier unquam tibi visus forem,
 Non sic ludibrio tuis factis habitus essem? M. quibu'? P. rogas?
 Hem peperit filia, taces. ex quo? M. istuc rogare aequum est patrem?
 Perii, ex quo censes ni ex illo cui data est nuptum obsecro?
 PH. Credo, neque adeo arbitrari aliter est patris. sed demiror id
 Quid sit, quamobrem tantopere hunc omnes nos coelare volueris 15
 Partum, praesertim cum recte & suo pepererit tempore.
 Adeo ne pervicaci esse animo, ut puerum praeoptares perire,
 Ex quo inter nos scires posthac amicitiam fore firmiorem
 Potius quam esset cum illo nupta adversum animi libidinem
 Tui? ego etiam illorum hanc esse culpam credidi, quae te est 20
 penes.
 M. Misera sum. P. utinam sciam ita esse istuc. sed nunc mihi in men-
 tem venit,
 Ex hac re quod locuta es olim, cum illum generum cepimus.
 Nam nuptam filiam negabas posse te pati tuam
 Cum

Cum eo, qui meretrices amaret. qui pernoctaret foris. *Troch. oct. catah.*

M. Quamvis causam hunc suspicari, quam ipsam veram, mavolo. 25

P. Multo prius scivi, quam tu, illum amicam habere Myrrhina.

Verum id, vitium ego nunquam decrevi esse adolescentiae:

Nam omnibu' innatum est. at pol iam aderit, se quoque cum oderit.

Sed ut olim te ostendisti, eadem esse nil cessasti usque adhuc,

Vt filiam ab eo abduceres: neu quod ego egissem, esset ratum. id 30

Nunc res indicium haec facit, quo pacto factum * volueris

Tribr. pro Troch.

M. Adeo me esse pervicacem censes, cui mater siem,

Vt eo essem animo, si ex usu esset nostro hoc matrimonium?

P. Tun' prospicere, aut iudicare nostram in rem quod sit, potes?

Audisti ex aliquo fortasse, qui vidisse eum diceret 35

Exeuntem, aut introeuntem ad amicam. quid tum postea,

Si modeste ac raro hoc fecit? nonne ea dissimulare nos

Magis humanum est, quam dare operam id scire, qui nos oderit?

Nam si is posset ab ea sese der repente avellere,

Qui cum tot consuesset annos: non eum hominem ducerem, 40

Nec virum sati' firmum gnatae. M. mitte adolescentem obsecro,

Et quae me peccasse ais: abi, solum solus conveni.

Vxorem roga velitne, si est, ut dicat velle se,

Redde, sin est autem ut nolit, recte ego consului meae.

P. Siquidem ille ipse non volt, & tu senti esse in eo Myrrhina 45

Peccatum: aderam, cuius consilio ea par fuerat prospici,

Quamobrem incendor ira, te esse ausam haec facere iniussu meo.

Interdico. ne extulisse extra aedeis puerum usquam velis.

Sed ego stultior, meis dictis parere hanc qui postulem:

Ibo intro, atque edicam servis, ne quoquam efferri sinant. 50

M. Nullam pol credo mulierem me miseriorem vivere:

Iamb. Oct.

Nam ut hic laturus hoc sit, si ipsam rem ut fiet, resciverit,

Non aedepol clam me est: cum hoc, quod levius est, tam animo *Et hic aepol scriptura fuisse videtur,*

iracundo tulit.

Nec qua via sententia eius mutari possit, scio.

Hoc mi unum ex plurimis miseriis relliquum fuerat malum: 55

Si puerum ut tollam cogit, cuius qui sit nescimus pater.

Nam cum compressa est gnata, forma in tenebris nosci non quita est,

Neque detractum ei tum quidquam est, qui post possit nosci qui fiet.

Ipsē eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens anulum.

Simul vereor Pamphilum, uti orata nostra nequeat diutius 40

Coelare, cum sciet alienum puerum tolli pro suo.

Se duxit.) Clam ut non sentiretur. ASINIVS ad Ciceronem, Balbus Quaestor ne stipendio quidem militibus reddito duxit se a Gadibus.

ACT. IV. SCENA II.

S O S T R A T A. P A M P H I L V S.

NON clam me est mi gnate, tibi me esse suspectam uxorem tuam *Iamb. Oct.*

Propter meos mores hinc abiisse, etsi ea dissimulas sedulo;

Verum ita me Dei ament, itaque obtingant ex te quae exopto mihi, ut

Nunquam sciens commerui, merito ut caperet odium illam mei.

Commerui.) Secus

Teque ante amare me rebar quam ei rei firmasti fidem. 5

Nam mi intus tuus pater narravit modo, quo pacto me habueris

Praepositam amoru tuo. nunc tibi me certum est contra gratiam:

Referre: ut apud me praemium esse positum pietatis scias.

Mi Pamphile hoc vobis, & meae esse commodum famae arbitror.

Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre, 10

Ne mea praesentia obstet, neu causa ulla restet relliqua

Quin tua Philumena ad te redeat. PAM. quaeso, quid istuc con-

fili est?

A a a a a a a a a a

Illia'

Illiu' stultitia victa, ex urbe tu rus habitatum migres?

Non facies: neque sinam, ut qui nobis mater maledictum velit,

Mea pertinacia dicat factum, haud tua modestia.

15

Tum tuas amicas te, & cognatas deserere, & festos dies

Mea caussa nolo. S. nihil iam mi istaec res voluptatis ferunt:

Dum aetatis tempu' tulit, perfuncta satis: fatias me iam tenet

Studiorum istorum: haec mihi nunc cura est maxima, ut ne cui mea

Longinquitas aetatis obstet, mortemve exoptet meam.

20

Hic video me esse invisam immerito: tempus est concedere.

Sic optime, ut ego opinor, omneis caussas praecidam omnibus:

Et me hac suspicionem exolvam: & illis morem gesserō:

Sine me obsecro hoc effugere, volgus quod male audit mulierum.

PAM. Quam fortunatus caeteris sum rebus, absque una haec

foret,

25

Hanc matrem habens talem, illam autem uxorem? S. obsecro mi

Pamphile,

Non tu te incommodum rem, ut quaeque est, in animum inducas pati.

Si caetera sunt ita ut tu vis, itaque ut ego esse existimo,

Mi gnate, da veniam hanc mihi: reduc illam. PAM. vae misero mihi,

S. Et mihi quidem: nam haec res non minu' me male habet, quam

te gnate mi.

30

Quod male audit.)
Matres semper esse
nurubus iniquas.

Da veniam.) Permit-
te hoc abs te ut impe-
trem. Vide *Adelpb.*
sc. penul.

ACT. IV. SCENA III.

LACHES. SOSTRATA. PAMPHILVS.

Iamb. Oct.
Primi versus extrema
syl. initium est seq.

QVEM cum istoc sermonem habueris, procul hinc stans accepi uxor.

Istuc

Est sapere, qui ubicunque opus sit, animum possis flectere, &

Quod faciendum post sit fortasse, hoc nunc idem si feceris.

S. Fors pol fuat. L. abi rus ergo hinc: ibi te ego & tu me feres.

S. Spero mecastor. L. i ergo intro, & compone quae te cum simul

Ferantur. dixi. S. ita ut iubes faciam. P. pater.

L. quid vis Pamphile? P. abire hinc matrem? minime. L. quid ita

istuc? P. quia

De uxore incertus sum etiam quid facturum siem. L. quid est

Quod vis, nisi reducere? P. equidem cupio, & vix * contineo, sed

Non minuam meum consilium: ex usu quod est, id persequar.

10

Credo ea gratia concordem si non redducam, magis fore.

L. Nescias. verum ita tua refert nihil, utrum illae fecerint,

Quando haec abierit. Odiosa haec aetas adolescentulis,

E medio aequum excedere. postremo iam nos sumu' fabulae

Pamphile, senex atque anus.

15

Sed video Phidippum per tempus egredi, accedamus.

Troch. oct. catal.

Tribr. pro Troch.

Hypercat.

Iamb. oct. catal.

ACT. IV. SCENA IV.

PHIDIPPVS. LACHES. PAMPHILVS.

Senarii Iamb.

TIBI quoque aedepol sum iratu' Philumena

Graviter quidem: nam hercle abs te factum est turpiter,

Etsi tibi caussa est de hac re: mater te impulit:

Huic vero nulla est. L. opportune te mihi

Phidippe in ipso tempore ostendis. PH. quid est?

5

PA. Quid respondebo iis? aut quo pacto hoc aperiam?

L. Dic filiae rus concessuram hinc Sostratam:

Ne revereatur, minu' iam quo redeat domum. PH. ah,

Nullam de his rebus culpam commeruit tua:

A Myrrhina haec sunt mea uxore exorta omnia.

10

PAM.

Ostendis) Sic in Phor.
Act. v. Sc. vii. Sed
hinc concedam in an-
giportum hoc prox-
imum inde iisce osten-
dam me, ubi erunt
egressi foras.

PAM. Mutatio fit. PH. ea nos perturbat Laches.

PA. Dum ne reducam, turbent porro quam velint.

PH. Ego Pamphile esse inter nos, si fieri potest,

Affinitatem hanc sane perpetuam volo:

Sin est, ut aliter tua fiet sententia,

15

Accipias puerum. PA. sensit peperisse. occidi.

L. Puerum? quem puerum? PH. natus est nobis nepos.

Nam abducta a vobis praegnans fuerat filia,

Neque fuisse praegnantem unquam ante hunc scivi diem.

L. Bene (ita me Dei ament) nuntias, & gaudeo

20

Natum illum, & tibi salvam illam: sed quid mulieris

Vxorem habes? aut quibu' moratam moribus?

Nosne hoc coelatos tam diu? nequeo fatis

Quam hoc mihi videtur factum prave, proloqui.

PH. Non tibi factum illud minu' placet, quam mihi Laches.

25

PA. Etsi iam dudum fuerat ambiguum hoc mihi:

Nunc non est, cum eam consequitur alienus puer.

L. Nulla tibi Pamphile hic iam consultatio est.

PA. Perii. L. hunc videre saepe optabamus diem,

Cum ex te esset aliquis, qui te appellaret patrem.

30

Eventit: habeo gratiam Dis. PA. nullu' sum.

L. Reduc uxorem, ac noli adversari mihi.

PA. Pater si illa ex me liberos vellet sibi,

Aut se esse mecum nuptam: sati' certo scio,

Non me clam haberet, quae coelasse intellego.

35

Nunc, cum eius alienum esse a me animum sentiam,

Nec conventurum inter nos posthac arbitror:

Quamobrem reducam? L. mater quod suavit sua,

Adolescens mulier fecit: mirandum ne id est?

Censen' te posse reperire ullam mulierem,

40

Quae careat culpa? an quia non delinquent viri?

PH. Vosmet videte iam, Lache, & tu Pamphile,

Remissam opu' sit vobis, an reductam domum:

Vxor quid faciat, in manu non est mea:

Neutra in re vobis difficultas a me erit.

45

Sed quid faciemus puero? L. ridicule rogas.

Quidquid futurum est, huic reddas, suum scilicet:

Vt alamus nostrum. PA. quem ipsa neglexit, pater,

Ego alam? L. quid dixi? eho an non alemus Pamphile?

Prodemus quaeso potius? quae haec amentia est?

50

Enimvero iam prorsus tacere non queo:

Nam cogis ea, quae nolo, ut praesente hoc loquar.

Ignarum censes tuarum lacrumarum esse me?

Aut quid sit id, quod sollicitere ad hunc modum?

Primum, hanc ubi dixi causam, te propter tuam

55

Matrem non posse habere hanc uxorem domi:

Pollicita est ea se concessuram ex aedibus:

Nunc, postquam ademptam hanc quoque tibi causam vides:

Puer quia clam te est natus, nactus alteram es.

Erras, tui animi si me esse ignarum putas:

60

Aliquando tandem huc animum ut adiungas tuum,

Quam longum spatium amandi amicam tibi dedi?

Sumptus, quos fecisti in eam, quam animo aequo tuli?

Egi, atque oravi, tecum uxorem ut duceres:

Tempus dixi esse, impulsu duxisti meo:

65

Quae tum obsecutus mihi, fecisti ut decuerat.

Nunc animum rursus ad meretricem inducti tuum,

Cui tu obsecutus, facis huic adeo iniuriam:

Nam in eandem vitam te revolutum denuo

Video esse. PA. mene? L. teipsum: & facis iniuriam,

70

B b b b b b b b

Cum

Iusiurandum.) Iusiurandum est religiosa, ut CICERO ait III. de Off. affirmatio: quo nullum vinculum ad adstringendam fidem arctius maiores esse voluerunt.

Iniussu non tollent meo.) Nemini enim invito dandus est haeres.

Vt possit.) Fieri subauditur. Vide And. Act. II. Scenam primam.

Cum fingis falsas causas ad discordiam:
 Ut cum illa vivas, testem hanc cum abs te amoveris:
 Sensitque adeo uxor. nam ei causa alia quae fuit,
 Quamobrem abs te abiret? PH. plane hic divinat: nam id est.
 PA. Dabo iusiurandum, nihil esse istorum, tibi. L. ah, 75
 Reduc uxorem: aut quamobrem non opu' sit, cedo.
 PA. Non est nunc tempus. L. Puerum accipias: nam is quidem
 In culpa non est: post de matre videro.
 PA. Omnibu' modis miser sum, nec quid agam scio:
 Tot nunc me rebus miserum concludit pater. 80
 Abibo hinc, praesens quando promoveo parum.
 Nam puerum credo iniussu non tollent meo,
 Praesertim in ea re cum sit mi adiutrix focus.
 L. Fugis? hem. nec quidquam certi respondes mihi?
 Num tibi videtur esse apud sese? sine: 85
 Puerum Phidippe mihi cedo, ego alam. PH. maxime
 Non mirum fecit mea uxor, si hoc aegre tulit:
 Amarae mulieres sunt: non facile haec ferunt.
 Propterea haec ira est: nam ipsa narravit mihi.
 Id ego praesente hoc tibi nolebam dicere. 90
 Neque ei credebam primo: nunc vero palam est.
 Non omnino abhorrere animum huic video a nuptiis.
 L. Quid ergo agam Phidippe? quid das consili?
 P. Quid agas? meretricem hanc primum adeundam censeo.
 Oremus: accusemus gravius: denique 95
 Minitemur, si cum illo habuerit rem postea.
 L. Faciam ut mones: eho puer, curre ad Bacchidem hanc
 Vicinam nostram: huc evoca verbis meis.
 Et te oro porro in hac re adiutor sis mihi. PH. ah
 Iam dudum dixi, idemque nunc dico Lache, 100
 Manere affinitatem hanc inter nos volo,
 Si ullo modo est, ut possit, quod spero fore.
 Sed vis ne adesse me una dum istam convenis?
 L. Imo vero abi: aliquam puero nutricem para.

ACT. V. SCENA I.

BACCHIS *meretrix.* LACHES.

Oa. Iamb.

NON hoc de nihilo est, quod Laches nunc me conventam esse
 expetit:

Nec pol me multum fallit, quid quod suspicor, si quod velit.

L. Videndum est, ne minu' propter iram hanc impetrem, quam
 possiem.

Aut ne quid faciam plus, quod post me minu' fecisse fatiu' sit.

Aggrediar. Bacchis salve. B. salve Lache. LA. credo aedepol te 5

Non nil mirari Bacchis, quid sit, quapropter te huc iussi

Foras puerum evocare.

B. Ego pol quoque etiam timida sum: mihi cum venit in mentem,
 quae sim:

Ne nomen mihi quaestus obstet apud te: nam mores facile tutor.

L. Si vera dicis: nil tibi pericli est a me mulier: nam 10

Iam ea aetate sum, ut non sit nunc peccato mihi ignosci aequum:

Quo magis omnes res cautius, ne temere faciam, adcurro.

Nam id si nunc faci', facturave es, bonas quod par est facere,

Inscitum offerre iniuriam tibi me, immerenti, iniquum est.

B. Est magna ecastor gratia, de re hac, quam tibi habeam: nam qui 15

Post factam iniuriam se expurget, mihi parum profit: sed

Quid istuc est? L. meum receptas filium ad te Pamphilum. B. ah.

L. Sine

Iamb. Oa.

L. Sine dicam: uxorem hanc priu' quam duxit, vostrum amorem pertuli:

Mane, nondum etiam dixi id, quod volui: nunc hic uxorem habet. Quaere alium firmiorem tibi, dum consulendi tempus est. 20

Nam ille neque animo hoc erit aetatem, neque pol eadem ista aetate tu.

B. Quis id ait? L. socru'. B. mene? L. teipsam: & filiam abduxit *Trach. cat.* suam:

Puerumque ob eam rem clam voluit, qui natu' est, extinguere.

B. Aliud si scirem, qui firmare meam apud vos possem fidem, Sanctiu' quam iusiurandum, id pollicerer tibi Laches, 25

Segregatum me habuisse, uxorem ut duxit, a me Pamphilum.

L. Lepida es. sed scin' quid volo potius sodes facias? B. quid cedo.

L. Eas ad mulieres huc intro, atque istuc iusiurandum idem

Polliceare illis: exple animum iis, teque hoc crimine expedi:

B. Faciam: quod pol si esset alia ex hoc quaestu, haud faceret, scio: 30

Vt de tali causa nuptae mulieri se ostenderet.

Sed falsa fama nolo esse gnatum suspectum tuum:

Nec leviozem vobis, quibus est minime aequum, viderier

Immerito. nam meritis de me est, quod queam, illi ut commodem.

L. Facilem, benevolumque lingua tua iam tibi me reddidit: 35

Nam non sunt solae arbitratae hae: ego quoque hoc etiam credidi.

Nunc cum ego te esse praeter nostram opinionem comperi:

Fac eadem ut sis porro: nostra utere amicitia, uti voles.

Aliter si faci': sed reprimam me, ne aegrae quidquam ex me audias.

Verum te hoc moneo unum: quali' sim amicus, aut quid possiem, 40

Potius quam inimicus, periculum facias. B. faciam sedulo.

ACT. V. SCENA II.

PHIDIPPVS. LACHES. BACCHIS:

NIHIL apud me tibi defieri patiar, quin quod opus sit, Benigne praebeatur.

Lamb. oct. cat.
Dime. cat.

Sed cum tu satura, atque ebria eris, puer ut satur sit, facito.

L. Noster focer, video, venit: puero nutricem adduxit.

Phidippe Bacchis deierat per sancte. P. haecine ea est? L. haec est. 5

P. Nec pol istae metuunt Deos: neque respicere has deos opinor.

B. Ancillas dedo: quolibet cruciatu per me exquire,

Licet. haec res hic agitur, me facere, Pamphilo ut uxor redeat

Oportet: quod si perficio, non poenitet me famae:

Solam fecisse id, quod aliae meretrices facere fugitant. 10

L. Phidippe nostras mulieres suspectas falso, nobis

In re ipsa invenimus. porro hanc nunc experiamur. nam si

Compererit crimini tua se falso uxor credidisse,

Missam iram faciet. sin autem est ob eam rem iratus gnatus,

Quod peperit uxor clam: id leve est. cito ab eo haec ira abscedet. 15

Profecto in hac re nil mali est, quod sit dissidio dignum.

P. Velim quidem hercle. L. exquire. adest. quod sati' sit, faciet.

B. faciam.

P. Quid istaec mihi narras? an quia non tute audisti dudum,

Hac de re animus ut sit meus Lache? illis modo animum exple.

L. Quaeso aedepol Bacchis, quod mi es pollicita, tute ut serves. 20

B. Ob eam rem vis ut ego intro eam? L. i, atque exple his animum, uti credant.

B. Eo: etsi scio pol iis fore meum conspectum invisum hodie.

Nam nupta meretrici hostis est, a viro ubi segregata est.

L. At hae amicae erunt, ubi quamobrem adveneris, resciscent.

P. atqui

Easdem amicas fore tibi promitto, rem ubi cognorint. 25
 Nam illas errore, & te simul suspectione exsolves.
 B. perii, pudet Philumenae. sequimini me intro huc ambae.
 L. Quid mi est, quod malim, quam quod huic intellego evenire, ut
 Gratiam ineat sine suo dispendio, & mihi una profuit?
 Nam si est, ut haec nunc Pamphilum vere ab se segregarit: 30
 Scit sibi nobilitatem ex eo & rem natam, & gloriam esse:
 Referetque gratiam ei: unaque opera nos sibi amicos iunget.

ACT. V. SCENA III.

P A R M E N O. B A C C H I S.

*Troeb. cat.**Tibra. pro Iambe.*

AEDIPOL nae meam herus esse operam deputat parvi preti,
 Qui ob rem nullam misit, frustra ubi totum desedi diem,
 Myconium hospitem dum expecto in arce Callidemidem.
 Itaque ineptus hodie dum illic sedeo, ut quisque venerat,
 Accedebam, Adolescens dic dum quaeso tun es, * Myconius? 5
 Non sum. at Callidemides? non: hospitem equem Pamphilum
 Hic habes? omnes negabant. neque enim quenquam esse arbitror.
 Denique hercle iam pudebat: abii. sed quid Bacchidem
 Ab nostro affine exeuntem video? quid huic hic est rei?
 B. Parmeno opportune te offers. propere curre ad Pamphilum. 10
 P. Quid eo? B. dic me orare ut veniat. P. ad te? B. immo ad Phi-
 lumenam.
 P. Quid rei est? B. quod tua nil refert, percontari desinas.
 PAR. Nil aliud dicam? B. etiam, cognosse anulum illum Myrrhi-
 nam
 Gnatae suae fuisse, quem mihi ipsu' olim dederat. P. scio.
 Tantum ne? BA. tantum. aderit continuo, haec ubi ex te audive-
 rit. 15
 Sed cessas? P. minime equidem: nam hodie mihi potestas haud data
 est:
 Ita cursando, atque ambulando totum hunc contrivi diem.
 B. Quantam obruli adventu meo laetitiam Pamphilo hodie?
 Quot commodas res attuli? quot autem ademi curas?
 Gnatum ei restituo, qui pene harum ipsiusque opera periit. 20
 Vxorem, quam nunquam est ratus posthac se habiturum, reddo.
 Qua re suspectus suo patri, & Phidippo fuit, exsolvi.
 Hic adeo iis rebus anulus fuit initium inveniundis.
 Nam memini ab hinc menses decem fere ad me nocte prima
 Confugere anhelantem domum, sine comite, vini plenum, 25
 Cum hoc anulo. extimui illico. mi Pamphile inquam amabo,
 Quid exanimatus es obsecro? aut unde anulum istum nactus?
 Dic mi. ille alias res agere se simulare. postquam id video,
 Nescio quid suspicari, magi' coepi instare ut dicat.
 Homo se fatetur vi in via nescio quam compressisse. 30
 Dicitque sese illi anulum, dum luctat, detraxisse.
 Eum haec cognovit Myrrhina in digito meo modo me habentem.
 Rogat unde sit. narro omnia haec. inde est cognitio facta
 Philumenam esse compressam ab eo, & filium inde hunc natum.
 Haec tot propter me gaudia illi contigisse laetor. 35
 Etsi hoc meretrices aliae nolunt. neque enim est in rem nostram,
 Vt quisquam amator nuptiis laetetur. verum aecastor
 Nunquam animum quaesti gratia ad malas adducam partes.
 Ego, dum illo licitum est, usa sum benigno, & lepido, & comi.
 Incommode mihi nuptiis evenit factum, fateor. 40
 At pol me fecisse arbitror, ne merito mi eveniret.
 Multa ex quo fuerint commoda, eiu' incommoda aequum est ferre.

Oct. Iamb. cat.

ACT.

ACT. V. SCENA IV.

PAMPHILVS. PARMENO. BACCHIS.

VIDE mi Parmeno etiam fodes, ut mi haec certa, & clara * attuleris, *Or. Iamb.*

Ne me in breve hoc conicias tempus gaudio hoc falso frui. *Tibra, pro Iamb.*

PAR. Visum est. PAM. certone? PAR. certo. PAM. Deus sum, si hoc ita est. PAR. verum * reperies. *Tibra, pro Iamb.*

PAM. Mane dum fodes. timeo ne aliud credam, atque aliud nunties.

PAR. Maneo. PAM. sic te dixisse opinor, invenisse Myrrhinam

Suum anulum habere Bacchidem. PAR. Factum. PAM. eum, quem ego olim ei dedi,

Eaque, hoc te nuntiare iussit mihi: itan' factum? PAR. inquam.

PAM. quis est

Me fortunatior? venustatisque adeo plenior? ego

Pro hoc nuntio quid te donem? quid? quid? nescio. PAR. at ego scio. PAM. quid.

PAR. Nil: nam neque etiam in nuntio, nec in me ipso quid sit boni,

Scio. PAM. Ego ne, qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris,

Sinam sine munere a me abire? ah, nimium me ingratum putas. *Senarii.*

Sed Bacchidem, eccam, video stare ante ostium.

Me expectat credo. adibo. B. salve Pamphile.

PAM. O Bacchis, ô mea Bacchis, servatrix mea. *15*

B. Bene factum, & volupe est. PAM. factis ut credam facis.

Antiquamque adeo tuam venustatem obtines,

Vt volupe obitus, sermo, adventus tuus, quocumque adveneris, *Or. Iamb.*

Semper fiet. B. at tu aecastor morem antiquum, atque ingenium obtines,

Vt unus hominum homo te vivat nunquam quisquam blandior. *20*

PAM. Ha ha hae, tune mihi istuc? B. recte amasti Pamphile uxorem tuam

Nam nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nossem, videram.

Perliberalis visa est. PAM. dic verum. B. ita me Dei ament Pamphile.

PAM. Dic mi, harum rerum nunquid dixti iam patri? B. nil. PAM. neque opus est

Adeo mutito. placet hoc non fieri itidem, ut in comoedijs, *25*

Omnia ubi omnes resciscunt: hic, quos par fuerat resciscere,

Sciunt. quos non autem scire aequum est, neque resciscunt, neque scient.

B. Immo etiam hoc quod occultari posse facilius credas, dabo.

Myrrhina ita Phidippo dixit, iuriurando se meo

Fidem habuisse, & propterea te sibi purgatum. PAM. est optume. *30*

Speroque rem hanc esse eventuram nobis ex sententia.

PAR. Here, licet me scire ex te, hodie quid sit quod feci boni, *Troch. or. cat.*

Aut quid istuc est, quod vos agitis? PAM. non PAR. suspicor tamen.

Egone ab Orco hunc mortuum? quo pacto? PAM. nescis Parmeno

Quantum hodie profueris mihi, & ex quanta aerumna extraxeris. *35*

PAR. Immo vero scio, neque hoc imprudens feci. PAM. ego istuc * fati' scio *Hypercat.*

PAM. Sequere me intro Parmeno. PAR. sequor: equidem plus hodie boni *Tibra, pro Troch.*

Feci imprudens, quam sciens ante hunc diem unquam. PLAVDITE. *Finis Trochaici.*

F I N I S.

CALLIOPIVS RECENSVI.

GOVEANVS RECENSVI.

Cccccccc

PHOR-

PHORMIO TERENTII

A B

ANTONIO GOVEANO

*DENVO CASTIGATA, LOCIS DIFFICILIORIBVS
EXPLICATA, ACTIBVS, SCENIS, VERSI-
BVSQVE DISTINCTA.*

ANTONII GOVEANI

ARGUMENTVM

IN

PHORMIONIS TERENTII.

CHREMES ATTICVS Civis duas uxores habuit, alteram Athe-
nis ditam & nobilem Nausistratam, & clam eam in Lemno alteram
pauperem & obscuram, ubi se non Chremetem, sed Stilphonem vocari
faciebat: ex illa Attica filium suscepit Phaedriam, ex hac Lemnia
filiam. Quam cum Antiphoni Demiphonis fratris sui filio nuptum dare
vellet, atque ita iam inter senes convenisset, in Lemnum Chremes profectus ut filiam
Athenas adduceret, cum diutius Athenis mansisset, illo cum venit, uxorem cum omni
familia, ante aliquanto ad se profectam invenit. Senem in Lemno aliquandiu mor-
bus detinet: cum interea Stilphonis nomine eum Athenis uxor reperire non posset.
Moritur interea mulier relicta cum nutrice filia: quam cum divino quodam casu ma-
tris curantem funus Antipho vidisset, misere in ea commotus est. Potiundi cum spes
nulla ostenderetur, nisi uxore ducta, & absentis patris iram adolescens pertimesce-
ret, Phormio parasitus rationem quandam excogitavit, qua id facere Antipho posset,
& patri tamen nulla iurgandi caussa esset. Eo fretus consilio virginem absente pa-
tre Antipho domum ducit. Redit interea e Cilicia pater, filium iniussu suo uxorem
duxisse indotatam & ignobilem reperit: irasci omnibus vehementer Phormioni prae-
sertim, a quo filium credit circumventum: neque tamen videt, qui mulier domo pelli
possit, nisi confecta ei dote inveniat, qui uxorem ducat: cum ipso itaque Phormione
agit, ut quoniam virginis se cognatum diceret, eam uxorem accipiat, se triginta mi-
nas daturum in dotem. Parasitus qui Phaedriae Chremetis filio curam argentariam
adimere vellet, simulat se conditione uti velle. Demipho xxx minas mutuo a Chre-
mete sumptas Phormioni dat, Phormio porro Phaedriae, unde amicam a Lenone re-
dimat. Chremes interea filiam agnoscit: quam cum nuptam cum eo inveniat, cum quo
maxime volebat, suas xxx minas ambo senes repetunt a parasito: a quo Chremes
uxori Nausistratae proditus non prius a matre familias libidinis veniam impetrat,
quam ipse filio det & de amica & de xxx minis.

FABVLAE INTERLOCVTORES.

PHORMIO parasitus.
CHREMES senex.
DEMIPHO senex.
PHAEDRIA adolescens.
ANTIPHO adolescens.
DAVVS servus.

GETA servus.
SOPHRONA nutrix.
DORIO leno.
HEGIO advocatus.
CRATINVS advocatus.
CRITO advocatus.

P. TERENTII AFRI PHORMIO.

ACTA LVDIS ROMANIS

L. POSTHYMIO ALBINO L. CORNELIO MERVLA AEDILIBVS CVRVLIBVS. EGERE L. AMBIVIVS TVRPIO, L. ATTILIVS PRAENESTINVS. MODOS FECIT CLAVDIVS FLACCVS CL. F. TIBIIS PARIBVS. TOTA. GRAECA EST, APOLLODOROV EPIDICAZOMENI. ACTA QVARTO EST. EDITA C. FANNIO STRABONE, M. VALERIO MESSALA COSS.

PROLOGVS.

POSTQVAM poëta vetus poëtam non potest
Retrahere a studio, & transdere hominem in otium:

Maledictis deterrere ne scribat, parat.

Qui ita dicitur, quas antea fecit fabulas,

Tenui esse oratione, & scriptura levi:

Quia nusquam scripsit insanum adolescentulum

Cervam videre fugere, & sectari canes,

Et eam plorare, orare ut subveniat sibi.

Quod si intellexeret, olim cum stetit nova,

Actoris opera magi' stetit, quam sua,

Minu' multo audacter, quam nunc laedit, laederet:

Et magi' placerent, quas fecisset fabulas.

Nunc si quis est, qui hoc dicat, aut sic cogitet:

Vetu' si poëta non laceffisset prior,

Nullum invenire prologum potuisset novus

Quem diceret, nisi haberet cui malediceret:

Is sibi responsum hoc habeat: in medio omnibus

Palmam esse positam, qui artem tractant Musicam.

Ille ad famem hunc ab studio studuit reicere:

Hic respondere voluit, non laceffere.

Benedictis si certasset, audisset bene:

Quod ab ipso allatum est, sibi id esse rellatum putet.

De illo iam finem faciam dicundi mihi,

Peccandi cum ipse de se finem non facit.

Nunc quid velim, animum attendite. Apporto novam,

Epidicazomenen quam vocant comoediam

Craeci, Latini Phormionem nominant:

Quia qui aget primas parteis, is erit Phormio

Parasitus, per quem res geretur maxime.

Voluntas vestra si ad poëtam accesserit,

Date operam: adeste aequo animo per silentium:

Ne simili utamur fortuna, atque usi sumus,

Cum per tumultum noster grex motus loco est:

Quem actoris virtus nobis restituit locum,

Bonitasque vestra adiutans, atque aequanimitas.

Senarii.

5 *Scriptura levi.) Vide quae in illud Prologi Heautont. Sin levis est, ad alium mox defertur gregem notavimus.*

10 *Cervam videre fugere.) Locum hunc nos ita interpunximus ut vides: ne te interpretis moveat imperitis, qui sic distinguit, Cervam videre, fugere, & sectari canes, fingens ambiguitatem in contextu tam aperto.*

20

25

30

35

ACT. I. SCENA I.

D A V V S *servus.**Senarii.*

AMICVS summus meus, & popularis Geta
 Here ad me venit: erat ei de ratiuncula
 Iam pridem apud me relliquum pauxillulum
 Numorum: id ut conficerem: confeci: adfero.
 Nam herilem filium eius duxisse audio 5
 Vxorem: ei credo munus hoc corraditur.
 Quam inique comparatum est? ii qui minus habent,
 Ut semper aliquid addant ditioribus?
 Quod is unciatim vix de demenso suo
 Suum defrudans genium comparfit miser, 10
 Id universum illa abripiet, haud aestimans
 Quanto labore partum. porro autem Geta
 Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
 Porro alio autem, ubi erit puero natalis dies.
 Vbi initiabunt, omne hoc mater auferet: 15
 Puer causa erit mittundi: sed videon' Getam?

Vbi initiabunt.) CICERO II. de Legibus, Marcus. At vero quod sequitur quomodo aut tu assentiare, aut ego reprehendam sane quaero Tite. Atticus. Quid tandem id est. M. de nocturnis sacrificiis mulierum. A. Ego vero assentior: excepto praesertim in ipsa lege solenni sacrificio ac publico. M. Quid ergo aget Iacchus Eumolpidaeque vestri? & augusta illa mysteria siquidem sacra nocturna tollimus? non enim populo Romano, sed omnibus bonis firmisque populis leges damus. A. Excipis credo, illa quibus initiati sumus. M. Ego vero excipiam. nam mihi cum multa eximia divinaque videntur Athenae tuae peperisse atque in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem & mitigati sumus, initiaque ut appellantur ita revera principia vitae agnovimus: neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi. Idem CICERO lib. in Verrem quinto & ultimo, Teque appello Ceres & libera, quarum sacra sicut opiniones hominum ac religiones ferunt, longe maximis atque occultissimis ceremoniis continentur, a quibus initia vitae atque vidus, legum, morum, mansuetudinis humanitatis exempla hominibus & civitatibus data ac dispersita esse dicuntur: quarum sacra populus Romanus a Graecis adscita & accepta tanta religione & publice & privatim tuetur, non ut ab aliis huc allata, ut caeteris hinc tradita esse videantur.

Causa.) Alii colorem, alii praetextum vocant.

ACT. I. SCENA II.

G E T A *servus.* D A V V S .

SI quis me quaeret rufus. D. praesto est, desine. G. oh,
 At ego obviam conabar tibi Dave. D. accipe, hem:
 Lectum est, conveniet numerus quantum debui.
 G. Amo te, & non neglexisse habeo gratiam.
 D. praesertim ut nunc sunt mores: adeo res rediit: 5
 Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.
 Sed quid tu es tristis? G. egone? nescis quo in metu, &
 Quanto in periculo sim. D. quid istuc est? G. scies,
 Modo tacere ut possis. D. abi sis insciens. 10
 Tu cuiu' fidem in pecunia perspexeris,
 Verere verba ei credere? ubi quid mihi lucri est
 Te fallere? G. ergo auscultas. D. hanc operam tibi dico.
 G. Seni' nostri Dave fratrem maiorem Chremem
 Nostin? D. quidni? G. quid eius gnatum Phaedriam?
 D. Tanquam te. G. evenit senibus ambobus simul, 15
 Iter illi in Lemnum ut esset, nostro in Ciliciam
 Ad hospitem antiquum. is senem per epistolas
 Pellexit, modo non Monteis auri pollicens.

D. Cui

D. Cui tanta erat res, & supererat? G. desinas:
 Sic est ingenium. ob, regem me esse oportuit.
 G. Abeuntes ambo hinc tum senes, me filiis
 Relinquunt quasi magistrum. D. ô Geta provinciam
 Cepisti duram. G. mi usu venit hoc, scio:
 Memini relinqui me, deo irato meo.
 Coepi adversari primo: quid verbis opu' est?
 Seni fidelis dum sum, scapulas perdi. 20
 D. Venere in mentem istaec mihi: nam quae inscitia est
 Advorsum stimulum calces? G. coepi his omnia
 Facere, obsequi quae vellent. D. fecisti Vti foro.
 G. Noster mali nil quidquam primo: hic Phaedria
 Continuo quandam nactus est puellulam
 Citharistriam: hanc amare coepit perdit.
 Ea lenoni servibat impurissimo.
 Neque quod daretur quidquam, id curarant patres.
 Restabat aliud nil, nisi oculos pascere,
 Sectari, in ludem ducere, & reducere: 25
 Nos otiosi operam dabamus Phaedriae.
 In quo haec discebat ludo, ex advorsum ei loco
 Tonstrina erat quaedam: hic solebamus fere
 Plerunque eam operiri, dum inde iret domum. 30
 Interea dum sedemus illic, intervenit
 Adolescens quidam lacrumans: nos mirarier:
 Rogamus, quid sit: Nunquam aequae, inquit, ac modo,
 Paupertas mihi onus visum est & miserum, & grave.
 Modo quandam vidi virginem hic vicinia
 Miseram, suam matrem lamentari mortuam.
 Ea ex advorso sita erat: neque illi benevolens,
 Neque notus, neque cognatus, extra unam aniculam
 Quisquam aderat, qui adiutaret funus: miseritum est.
 Virgo ipsa facie egregia: quid verbis opu' est? 35
 Commorat omnes nos: ibi continuo Antipho,
 Voltisne eamus visere? alius, censeo,
 Eamus duc nos sodes. Imus, venimus,
 Videmus. virgo pulchra, & quo magi' diceres,
 Nihil aderat adiuventi ad pulchritudinem: 40
 Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida:
 Lacrumae, vestitus turpis: ut ni vis boni
 In ipsa inesset forma, haec formam extinguerent.
 Hic, qui illam amabat fidicinam, tantummodo
 Satis inquit scita est: noster vero. D. iam scio:
 Amare coepit. G. scin' quam? quo evadat, vide:
 Postridie ad anum recta pergit: obsecrat,
 Sibi ut eius faciat copiam: illa enim negat:
 Neque eum aequum ait facere: illam civem esse Atticam,
 Bonam, bonis prognatam: si uxorem velit, 45
 Lege id licere facere: sin aliter, negat.
 Noster quid ageret, nescire: illam ducere
 Cupiebat, & metuebat absentem patrem.
 D. Num si redisset pater, ei veniam daret?
 G. Ille indotatam virginem, atque ignobilem 50
 Daret illi? nunquam faceret. D. quid sit denique?
 G. Quid fiat? est parasitus quidam Phormio,
 Homo confidens: qui (illum Di omnes perduint)
 D. Quid fecit? G. hoc consilium, quod dicam, dedit:
 Lex est, ut orbae, qui sint genere proximi, eis 55
 Nubant: & illos ducere eadem haec lex iubet.
 Ego te cognatum dicam, & tibi scribam dicam:
 Paternum amicum me assimulabo virginis: 60

D d d d d d d d

*Supererat.) CICERO
 lib. epist. XIII. ad Si-
 llium, Sed tam vereor
 ne superesse mihi ver-
 ba putes, quae dixere-
 ram defutura. Idem
 in oratione pro domo
 sua, Itaque signa om-
 nia tabulas ornamen-
 torum quod superfuit
 in fanis & communi-
 bus locis, tota e Grae-
 cia atque insulis om-
 nibus deportavit. Su-
 peresse ergo redun-
 dare est. Brutus ad
 Ciceronem. Pruden-
 tia vero quae tibi su-
 pererat, nulla abs te
 desideratur, nisi mo-
 dus in tribuendis ho-
 noribus.*

*45 Hic viciniae.) Sic in
 Andria, Commigra-
 vit huc viciniae.*

Ad

Ad iudices veniemus, qui fuerit pater,
 Quae mater, qui cognata tibi sit, omnia haec 80
 Confingam: quod erit mihi bonum, atque commodum.
 Tum tu horum nil refelles, vincam scilicet.
 Pater aderit: mihi paratae lites: quid mea?
 Illa quidem nostra erit. D. iocularem audaciam.
 G. Persuasit homini: factum est: ventum est: vincimur: 85
 Duxit. D. quid narras? G. hoc, quod audis. D. ô Geta
 Quid te futurum est? G. nescio hercle: unum hoc scio:
 Quod Fors feret, feremus aequo animo. D. placet.
 Hem, istuc viri est officium. G. in me omnis spes mihi est
 D. Laudo. G. ad precatorem abeam credo, qui mihi 90
 Sic oret, Nunc amitte quaeso hunc: caeterum
 Posthac si quidquam, nil precor: tantum modo
 Non caedas: ubi ego hinc abiero, vel occidito.
 D. Quid ille paedagogus, qui citharistram?
 Quid rei gerit? G. sic, tenuiter. D. non multum habet 95
 Quod det, fortasse. G. immo nihil, nisi spem meram.
 D. Pater eius rediit, an non? G. nondum. D. quid? senem
 Quoad expectatis vestrum? G. non certum scio.
 Sed epistolam ab eo allatam esse audivi modo, &
 Ad portitores esse delatam: hanc petam. 100
 D. Nunquid Geta aliud me vis? G. ut bene sit tibi.
 Puer, heus: nemon' huc prodit? cape, da hoc Dorcio.

ACT. I. SCENA III.

ANTIPHO. PHAEDRIA *adolescentes.**Iambic. Oton.**Quinti huius versus
extrema syllaba ini-
tium est sequentis
versus.**Quaternarius.**Penultimi huius
versus extrema sylla-
ba, initium versus
est sequentis.*

ADRON' rediisse, ut qui mihi consultum esse velit optime
 Phaedria, patrem extimescam, ubi in mentem eius adventi venit?
 Quod ni fuisset incogitans, ita eum expectarem, ut par fuit.
 P. Quid istuc? A. rogitas, qui tam audacis facinori' mi sis conscius?
 Quod utinam Phormioni ne suadere id in mentem incidisset, 5
 Neu me cupidum eo compulisset, quod mihi principium est mali.
 Potitus non essem: fuisset tum illos mi aegre aliquot dies:
 At non quotidiana cura haec angeret animum. P. audio.
 A. Dum exspecto, quam mox veniat, qui adimat hanc mihi consue-
 tudinem.
 PH. Aliis quia desit, quod amant, aegre est: tibi quia superest, 10
 dolet.
 Amore abundas Antipho.
 Nam tua quidem hercle certe vita haec expetenda oprandaque est.
 Ita me Di bene ament: ut mi liceat tam diu quod amo, trui,
 Iam depecisci morte cupio: tu coniicito caetera,
 Quid ego ex hac inopia nunc capiam, & quid tu ex istac copia. 15
 Ut ne addam, quod sine sumptu ingenuam, liberalem nactus es:
 Quod habes, ita ut voluisti, uxorem sine mala fama, palam:
 Beatus, ni unum hoc desit, animus qui modeste istaec ferat.
 Quod si tibi res sit cum eo lenone, quo cum mi est, tum sentias.
 Ita plerique ingenio sumus omnes, Nostri nosmet poenitet. 20
 A. At tu mihi contra nunc videre fortunatus Phaedria,
 Cui de integro est potestas etiam consulendi, quid velis,
 Retinere, amare, amittere. ego in eum incidi infelix locum,
 Ut neque mi eius sit amittendi, nec retinendi copia.
 Sed hoc quid est? video ego Getam currentem huc advenire? Is 25
 Ipse
 Est: hei timeo miser, quam hic nunc mihi rem nuntiet.

ACT.

ACT. I. SCENA IV.

GETA. ANTIPHO. PHAEDRIA.

NVLLE' es Geta, nisi aliquod iam tibi consilium celere repereris: *Iambic, Odon.*

Ita nunc imperatum subito tanta te impendent mala:

Quae neque uti devitem scio: neque quo modo me inde extraham:

(Nam non potest coelari nostra diutius iam audacia)

Quae si non astu providentur, me aut herum pessundabunt. 5

A. Quid nam ille commotus venit? G. tum, temporis punctum mihi

Ad hanc rem est: herus adest. A. quid istud est mali?

Senarit.

GE. Quod cum audierit, quod eius remedium inveniam iracundiae?

Loquarne? incendam: taceam? instigem: purgem me? Laterem lavem.

Eheu me miserum: cum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi:

In decimo hoc versu pro *Iamb.* ponitur *Tribr.* & ultima syll. a versus sequentis prima syll. absumitur.

Eius me miseret: ei nunc timeo: is nunc me retinet: nam * absque eo

Esset, recte ego mihi vidissem, & senis essem ultu' iracundiam.

Aliquid convassassem, atque hinc me conicerem protinam in pedes.

A. Quam hic fugam, aut furtum parat?

Dimeter troch. cata.

G. Sed ubi Antiphonem reperiam? aut qua quaerere insistam via? 15

P. Te nominat. A. nescio quod magnum hoc nuntio exspecto malum.

P. Ah, sanus es?

Monometer Iamb.

G. Domum ire pergam: ibi plurimum est. P. revocemus hominem.

A. Ita ilico. G. hem

Sati' pro imperio quisquis es. AN. Geta. GE. ipse est, quem volui obviam.

Troch. oct. catal.

A. Cedo quod portas obsecro? atque id (si potes) verbo expedi. 20

GE. Faciam. A. eloquere. GE. modo apud portum. A. meumne?

G. intellexti. A. occidi. G. hem.

A. Quid agam? P. quid ais? G. huius patrem vidisse me, patruum tuum.

A. Nam quod ego huic nunc subito exitio remedium inveniam miser?

Quod si eo meae fortunae redeunt, Phannium abs te ut distrahar,

Nulla est mihi vita expetenda. G. ergo istaectum ita sint Antipho, 25

Tanto magi' te advigilare aequum est: Forteis fortuna adjuvat.

A. Non sum apud me. G. atqui opus est nunc, cum maxime, ut sis Antipho:

Nam si senserit timidum te pater esse, arbitrabitur

Commeruisse culpam. P. hoc verum est. A. non possum immutarier.

GE. Quid faceres, si aliud quid gravius tibi nunc faciendum foret?

30

A. Cum hoc non possum, illud minu' possem. G. hoc nihil est Phaedria: illicit.

Quid conterimus operam frustra, quin abeam? P. & quidem ego.

A. obsecro:

Quid si assimulabo, sati' est? G. garris. A. voltum contemplamini, hem,

Sati' sic est? G. non. A. quid si sic? G. propemodum. A. quid si sic? G. fat est.

Hem, istuc serva. & verbum verbo par pari ut respondeas, 35

Ne te iratu' suis saevidicis verbis protelet. A. scio.

G. Vi coactum te esse invitum, lege, iudicio: tenes?

Sed qui' hic est senex, quem video in ultima platea? A. ipse est:

Non possum adesse. G. ah, quid agis? quo Antipho abis? mane,

Mane inquam. A. egomet me novi, & peccatum meum. 40

Vobis commendo Phanium, & vitam meam.

P. Geta quid nunc fiet? G. tu iam lites audies:

Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit.

D d d d d d d d 2

Sed

Sed quod modo hic nos Antiphonem monuimus,
Id nosmetipsos facere oportet Phaedria.

45

P. Aufer mihi oportet: quin tu quod faciam, impera.

G. Meministine olim ut fuerit vestra oratio,
In re incipiunda ad defendendam noxiam?

Iustam illam causam, facilem, vincibilem, optumam.

P. Memini. G. T. hem, nunc ipsa opus, aut, siquid melius potest,

50

Meliore, & callidior. P. fiet sedulo.

G. Nunc prior adito tu: ego in infidiis hic ero

Subcenturiatus, si quid deficies. P. age.

Nam absque eo esset recte mihi vidissem.) Scriptum in alio exemplari reperio, *Nam absque eo recte ego mihi vidissem.* Quod si ESSET legamus, aut notandum novum erit locutionis genus: aut ita oratio distinguenda, *Nam absque eo, esset recte, ego mihi vidissem.*

ACT. II. SCENA I.

DEMIPHO *senex.* GETA. PHAEDRIA.

ITANE tandem? uxorem duxit Antipho iniussu meo?

Nec meum imperium, age, omitto imperium: non similitatem meam

Revereri saltem? non pudere? ô facinus audax, ô Geta

Monitor. G. vix tandem. D. quid mihi dicent, aut quam causam
reperient,

Demiroi. G. atqui reperi iam. aliud cura. D. an ne hoc dicent
mihi,

5

Invitus feci, lex coëgit? audio, & fateor. G. places:

D. Verum scientem, tacitum, causam tradere adversariis:

Etiame id lex coëgit? P. illud durum. G. ego expediam. sine.

D. Incertum est quid agam, quia praeter spem, atque incredibile
hoc mi obtrigit.

Ita sum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituire. 10

Quamobrem omnes, cum secundae res sunt maxime, tum maxime

Meditari secum oportet, quo pacto adversam aerumnam ferant:

Pericla, damna, exilia peregre rediens semper cogitet,

Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiae:

Communia esse haec, fieri posse: ut nequid animo sit novum: 15

Quidquid, praeter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.

G. O. Phaedria, incredibile est, quanto herum anteo sapientia.

Meditata mihi sunt omnia mea incommoda, herus si redierit,

Molendum usque in pistrino, vapulandum, habendae compedes,

Opus ruri faciendum: horum nil quidquam accidet animo no-
vum. 20

Praeter spem quidquid eveniet, id deputabo omne in lucro.

Sed quid hominem cessas adire, & blande in principio adloqui?

D. Mei fratris video filium mi ire obviam.

P. Mi patru. D. salve: sed ubi est Antipho?

P. Salvum venire. D. credo. hoc responde mihi. 25

P. Valet. hic est. sed fatin' omnia ex sententia?

D. Vellem quidem. P. quid istuc? D. rogitas Phaedria?

Bonas me absente hic confecistis nuptias.

P. Eho an id succenses nunc illi? G. artificem probum?

D. Egone illi non succenseam? ipsum gestio 30

Dari mihi in conspectum, nunc sua culpa ut sciat

Lenem patrem illum, factum me esse acerrimum.

P. Atqui nil fecit patru, quod succenseas.

D. Ecce autem similia omnia. omnes congruunt,

Vnum cognoris, omnes noris. P. haud ita est. 35

D. Hic in noxa est: ille ad dicendam causam adest:

Cum

*Iamb. Obo.**Senarii.*

Cum ille est, hic praesto est. tradunt operas mutuas.
 G. Probe eorum facta imprudens depinxit senex.
 D. Nam ni haec ita essent, cum illo haud stares Phaedria.
 P. Si est patruae, culpam ut Antipho in se admiserit, 40
 Ex qua re minu' rei foret, aut famae temperans:
 Non causam dico, quin quod meritus est, ferat.
 Sed si quis forte malicia fretus sua
 Infidias nostrae fecit adolescentiae,
 Ac vicit, nostrane ea culpa est, an iudicum, 45
 Qui saepe invidiam propter adimunt diviti,
 Aut propter misericordiam addunt pauperi?
 G. Ni nossem causam, crederem vera hunc loqui.
 D. An quisquam iudex est, qui possit noscere
 Tua iusta, ubi tute verbum non respondeas: 50
 Ita ut ille fecit? P. functus adolescentuli est
 Officium liberalis. postquam ad iudices
 Ventum est, non potuit cogitata proloqui.
 Ita tum eum timidum obstupescerat pudor.
 G. Laudo hunc. sed cesso adire quamprimum senem? 55
 Here salve. salvum te advenisse gaudeo. D. oh
 Bone custos, salve, columen vero familiae,
 Cui commendavi filium hinc abiens meum.
 G. Iam dudum te omneis nos accusare audio
 Immerito, & horum me omnium immeritissimo. 60
 Nam quid me in hac re facere voluisti tibi?
 Servum hominem causam orare leges non sinunt.
 Neque testimoni dictio est. D. mitto omnia. adde
 Istuc, imprudens timuit adolescens, sino,
 Tu servus. verum si cognata est maxime, 65
 Non fuit necesse habere. sed, id quod lex iubet,
 Dotem daretis: quaereret alium virum.
 Qua ratione inopem potius ducebat domum?
 G. Non ratio, verum argentum deerat. D. fumeret
 Alicunde. G. alicunde? nihil est dictu facilius. 70
 D. Postremo, si nullo alio pacto, foenore.
 G. Hui, dixti pulchre, siquidem quisquam crederet
 Te vivo. D. non, non sic futurum est. non potest.
 Egone illam cum illo ut patiar nuptam unum diem?
 Nil suave meritum est. hominem commonstrarier 75
 Mi istum volo. aut ubi habitet, demonstrarier.
 G. Nempe Phormionem. D. istum patronum mulieris.
 G. Iam faxo hic aderit. D. Antipho ubi nunc est? P. foris.
 D. Abi Phaedria, eum require atque adduce huc. P. en
 Recta via equidem illuc. G. nempe ad Pamphilam. D. at ego 80
 Deos penatis hinc salutatum domum
 Devortar; inde ibo ad forum, atque aliquot mihi
 Amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient,
 Ut ne imperatus sim, cum adveniat Phormio.

*Adde. Extrema vers.
 huius syl. a sequen-
 tis prima absuntur.*

*Abi. posteriore
 brevi.*

Nil suave meritum est.) In haec verba ita Interpres, Ordo & sensus hic est, Nihil mihi mercedis suave est, ut ego illam cum illo nuptam feram. Suave enim meritum suavem mercedem significat. Ego scriptum fuisse puto, Nil suave meritu est: ut ad Antiphonem ea verba sic referantur, Ego ne illam cum illo ut patiar nuptam unum diem? non faciam, non enim meritus a me est, ei ut esse dulce aut suave aliquid patiar. Potest & sic id intelligi, Nil mihi fecit Antipho suave, ut ei aliquid esse suave permittam. Mereri, pro facere non hoc tantum loco usurpavit. Ita in Hecy. Act. III. Scena v.

*Quae nunquam quidquam erga me commerita est, pater,
 Quod nollem, & saepe quod vellem meritam scio.*

In eadem pene significatione dicitur Sce. ultima. Culpam meritam scio, hoc est commissam. & illud Sce. ultima Act. primi, arbitrabitur commeruisse culpam. CICERO ad Brutum epistola. Messalam habes, In qua videtur illud esse crudele, quod ad liberos, qui nihil meruerunt, poena pervenit. TERENTIUS in Heauton. quaeeso quid in te tantem meruisti?

Nempe Phormionem.) Alia exemplaria habent? Num Phormionem? atque ita constat

E e e e e e e

Se-

Senarius. Vide an malis literarum transpositione in *Phormionem* primam breviter dici: cum & APOLLODORVS, cuius haec fabula est, eius dictionis syllabam primam corripuerit. Quod qua ratione fecerit non video, nisi pro *Phormio*, *Phromio* scripserit. De his literarum transpositionibus vide THEODORVM *Grammaticae libro quarto*.

ACT. II. SCENA II.

PHORMIO *parasitus*. GETA.

Troch. oct. cat. duo
Hypercat. postremi
duo, qui iam ad frequentem spectant scenam, *Iamb. Oct.*

ITANE patris ais conspectum veritum hinc abiisse. G. admodum.
P. Phanium relictam solam? G. sic. P. & iratum senem?
G. Opido. P. ad te summa solum Phormio rerum redit.
Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum. accingere.
G. Obsecro te. P. si rogabit? G. in te spes est. P. aecere. 5
Quid si reddet? G. tu impulisti. P. sic opinor. G. subveni.
P. Cedo senem. iam instructa sunt mihi corde consilia omnia.
G. Quid ages? P. quid vis, nisi ut maneat Phanium, atque ex crimine hoc
Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram derivem senis?
G. O vir fortis, atque amicus. verum hoc saepe Phormio 10
Vereor, ne istaec fortitudo in nervum erumpat denique. P. ah
Non ita est. factum est periculum: iam pedum visa est via.
Quot me censes homines iam deverberrasse usque ad necem
Hospites, tum cives: quo magi' novi, tanto saepius?
Cedo dum, en unquam iniuriarum audisti mihi scriptam dicam? 15
G. Qui istuc? P. quia non rete accipitri tenditur neque milvio,
Qui male faciunt nobis: illis qui nil faciunt, tenditur:
Quia enim in illis fructus est, in illis opera luditur:
Aliis aliunde est periculum, unde aliquid abradi potest:
Mihī sciunt nihil esse: dices, ducent damnatum domum: 20
Alere nolunt hominem edacem: & sapiunt mea quidem sententia,
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.
G. Non potest fatis pro merito ab illo tibi referri gratia.
P. Imo enim nemo fatis pro merito gratiam regi refert.
Tene asymbolum venire unctum, atque lautum e balneis, 25
Otiosum ab animo: cum ille & cura, & sumptu absumitur:
Dum tibi sit quod placeat: ille ringitur: tu rideas:
Prior bibas: prior decumbas: coena dubia apponitur?
G. Quid verbi istuc? P. A. ubi tu dubites, quid sumas potissimum.
Haec cum rationem ineas, quam sint suavia, & quam cara sint, 30
Ea qui praebet, non tu hanc habeas plane praesentem Deum?
G. Senex adest: vide quid agas: prima coitio est acerrima.
Si eam sustinueris, post illa iam, ut lubet, ludas licet.

Hypercatalecticis.

Hypercatalecticis.

Imo enim anapestus.

Prior una syllaba.

Iambic. Octo.

Senarii.

ACT. II. SCENA III.

DEMIPHO. GETA. PHORMIO.

EN, unquam cuiquam contumeliosius
Audistis factam iniuriam, quam haec est mihi?
Adeste quaeso. G. iratus est. P. quin tu hoc age.
Iam ego hunc agitabo: pro Deum immortalium,
Hanc esse negat sibi cognatam Demipho? 5
Hanc Demipho negat esse cognatam? G. negat.
P. Neque eiu' patrem se scire, qui fuerit? negat.
D. Ipsum esse opinor, de quo agebam: sequimini.
P. Nec Stilphonem ipsum scire, qui fuerit? G. negat. 10
P. Quia egens relictā est misera: ignoratur parens:
Neglegitur ipsa: vide, avaritia quid facit.
G. Si herum insimulabis avaritiae, male audies.

D. Au-

D. Audaciam. etiam me ultro accusatum advenit.
 P. Nam iam adolescenti nihil est, quod succenseam,
 Si illum minus norat: quippe homo iam grandior
 Pauper, cui in opere vita erat, ruri fere
 Se continebat: ibi agrum de nostro patre
 Colendum habebat: saepe interea mihi fenex
 Narrabat, se hunc neglegere cognatum suum:
 At quem virum? quem ego viderim in vita optimum. 20
 G. Videas te, atque illum, ut narra'. P. abi in malam crucem:
 Nam ni ita eum existimassem, nunquam tam graveis
 Ob hanc inimicos caperem in nostram familiam.
 Quam is aspernatur nunc tam inliberaliter.
 G. Pergin' hero absenti male loqui impurissime? 25
 P. Dignum autem hoc illo est. GE. ain' tandem carcer? DEM.
 Geta.
 G. Bonorum extortor, legum contortor. D. Geta.
 P. Responde. G. quis homo est? chem. DEM. tace. GET. absenti
 tibi
 Te indignas, seque dignas contumelias
 Nunquam cessavit dicere hodie. D. ohe desine. 30
 Adolescens, primum abs te hoc bona venia expeto.
 Si tibi placere potis est, mi ut respondeas,
 Quem amicum tuum ais fuisse istum, explana mihi,
 Et qui cognatum me sibi esse diceret.
 P. Proinde expiscare, quasi non nosses. D. nosses? P. ita. 35
 D. Ego me nego: tu, qui ais, redige in memoriam.
 P. Eho tu sobrinum tuum non noras? D. enecas:
 Dic nomen. P. nomen? maxume. D. quid nunc taces?
 P. Peri hercle: nomen perdidit. D. hem, quid ais? P. Geta
 Si meministi, quod olim dictum est, subiice: hem, 40
 Non dico: quasi non noris, tentatum advenis.
 D. Egone autem tento? G. Stilpho. G. atque adeo quid mea?
 Stilpho est. D. quem dixti? P. Stilphonem inquam noveras?
 D. Neque ego illum noram: nec mihi cognatus fuit
 Quisquam istoc nomine. P. itane? non te horum pudet? 45
 At si talentum rem reliquisset decem:
 D. Di tibi malefaciant. P. primu' esses memoriter
 Progeniem veltram usque ab avo, atque atavo proferens.
 D. Ita ut dicis: ego tum si advenissem: mihi
 Qui cognata esset, dicerem; itidem tu face. 50
 Cedo, qui est cognata? G. heus noster recte: heus tu cave.
 P. Dilucide expedivi, quibu' me oportuit
 Iudicibus, tum si id falsum fuerat, filius
 Cur non refellit? D. filium narras mihi?
 Cuius stulticia dici, ut dignum est, non potest. 55
 P. At tu, qui sapiens es, magistratus adi,
 Iudicium de eadem causa iterum ut reddant tibi:
 Quandoquidem solus regnas, & soli licet
 Hic de eadem causa bis iudicium adipiscier.
 D. Etsi mihi facta iniuria est, verum tamen 60
 Potius quam lites secter, aut quam te audiam:
 Itidem ut cognata si sit, id quod lex iubet
 Dotem dare, abduce hanc, minas quinque accipe.
 P. Ha ha hae, homo suavis. D. quid est? num iniquum postulo?
 An, ne hoc quidem adipiscar ego, quod ius publicum est? 65
 P. Itane tandem quaeso, civem item ubi abusu' sis,
 Mercedem dare lex iubet ei, atque amittere?
 An, ut nequid civis turpe in se admitteret
 Propter egestatem, proximo iussa est dari,
 Ut cum uno aetatem degeret: quod tu veras? 70

E e e e e e e 2

D. Ita

Apud CICERO in
 Orat. ad Brutum le-
 gimus Ebo tu cognat-
 tum.

Vide num legendum
 Ei quod, &c. ut pau-
 lo post, cum Senis
 verba repetit Phor-
 mio, Mercedem dare
 lex iubet ei, atque
 amittere?

Non agam i Dactylus.

Infelix, syll. prima praecedentis versus est.

D. Ita, proximo quidem: at nos, unde, aut quamobrem? P. ohe, Actum ne agas, aiunt. D. non agam? imo haud desinam, Donec perfecero hoc. P. ineptis. D. sine modo. P. Postremo tecum nil rei nobis Demipho est: Tuus est damnatus gnatus, non tu. nam tua 75
Praeterierat iam ad ducendum aetas. D. omnia haec Illum putato, quae ego nunc dico, dicere: aut Quidem cum uxore hac, ipsum prohibeo domo. G. Iratus est. P. tute idem melius feceris. D. Itane es paratus facere me advorsum omnia in- 80
Felix? P. metuit hic nos, tametsi sedulo Dissimulat. G. bene habent tibi principia. P. quin quod est Ferendum, fer: tuis factis dignum feceris, Vt amici inter nos simus: D. egone tuam expetam Amicitiam? aut te visum, aut auditum velim? 85
P. Si concordabis cum illa, habebis quae tuam Senectam oblectet: respice aetatem tuam. D. Te oblectet: tibi habe. P. minue vero iram. D. hoc age. Sati' iam verborum est: nisi tu properes mulierem Abducere, ego illam eiiciam: dixi Phormio: 90
P. Si tu illam attigeris, secu' quam dignum est liberam, Dicam impingam tibi grandem: dixi Demipho. Si quid opus fuerit, heus, domo me. G. intellego.

ACT. II. SCENA IV.

DEMIPHO. GETA. HEGIO. CRATINVS.
CRITO *advocati.*

Senarii.

Abi tu, anapaestus.

QVANTA me cura, & solitudine afficit Gnatus, qui me, & se iisce impedivit nuptiis? Neque mi in conspectum prodit, ut saltem sciam, Quid de hac re dicat, quidve sit sententiae. Abi tu, vise redieritne iam, an nondum, domum. 5
G. Eo. D. videtis quo in loco res haec fiet. Quid ago dic Hegio. H. ego? Cratinum censeo, Si tibi videtur. D. dic Cratine. CRA. mene vis? D. Te. CRA. ego, quae in rem tuam sint, ea velim facias: mihi Sic hoc videtur: quod te absente hic filius 10
Egit, restitui in integrum aequum est, & bonum: Et id impetrabis. dixi. D. dic nunc Hegio. H. Ego sedulo hunc dixisse credo. verum ita est, Quot homines, tot sententiae. suu' cuique mos. Mihi non videtur, quod sit factum legibus, 15
Rescindi posse: & turpe inceptu est. D. dic Crito. CRI. Ego amplius deliberandum censeo: Res magna est. H. num quid nos vis? D. fecistis probe. Incertior sum multo quam dudum. G. negant Rediisse. D. frater est exspectandus mihi: is 20
Quod mihi dederit de hac re consilium, id exsequar: Percontatum ibo ad portum, quoad se recipiat. G. At Ego Antiphonem quaeram, ut quae acta hic sunt, sciat. Eccum, ipsum video in tempore huc se recipere.

ACT. III. SCENA I.

ANTIPHON. GETA.

Odon. Iamb. omnes.

ENIMVERO Antipho multis modis cum animo istoc vituperandus es, Itane hinc abisse, & vitam aliis dedisse tutandam tuam? 25
Tuam

Tuam alios credidisse rem, quam te, animadversuros magis?
 Nam ut ut erant alia, illi certe consuleres, quae nunc tuae est domi,
 Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur mali: 5

Cuius nunc miserae spes, opesque sunt in te uno omnes sitae.
 G. Equidem here nos iam dudum hic te absentem incusamus, qui
 abieris.

A. Te ipsum quaerebam. GE. sed ea causa nihilo magi' defecimus.

A. Loquere obsecro, quo nam in loco sunt res, & fortunae meae?
 Nunquid patri subolet? G. nil etiam. A. ecquid spei porro est?

G. nescio. A. ah. 10

G. Nisi Phaedria haud cessavit pro te eniti. A. nil feci novi. *Nisi pro sed.*

G. Tum Phormio itidem in hac re, ut in aliis, strenuum hominem
 praebuit.

A. Quid is fecit? G. confutavit verbi' admodum iratum patrem.

A. Heu Phormio. G. ego quod potui porro. A. mi Geta omneis
 vos amo.

GE. Sic principia habent sese, uti dico: est adhuc tranquilla res. 15

Mafurusque patrum pater est, dum huc adveniat. AN. quid eum? *Extrema versus huius
 syll. initium est se-
 quentis.*

G. aiebat

De eius consilio velle facere sese, quod ad hanc rem attinet.

AN. Quantus metus est mihi venire huc salvum nunc patrum Geta?

Nam (ut audio) per unam eius aut vivam, aut moriar sententiam.

G. Phaedria tibi adest. A. ubi nam? G. eccum, a sua palaestra
 exit foras. 20

ACT. III. SCENA II.

PHAEDRIA. DORIO leno. ANTIPHO. GETA.

DORIO audi obsecro. D. non audio. P. parumper. D. quin *Trocb. oct. catalect.*
 omitte me.

P. Audi quod dicam. D. at enim taedet iam audire eadem millies.

P. At nunc dicam, quod lubenter audias. D. loquere, audio.

P. Nequeo te exorare, ut maneat triduum hoc? quo nunc abis?

D. Mirabar, si tu mihi quidquam afferres novi.

A. Hei, metuo lenonem, nequid suo suat capiti. G. idem ego *5 Senarius Iamb. pro-
 pter oct. Iambicum,
 qui sequitur, quem
 inter se faciunt An-
 tipho, & Geta.*
 metuo.

P. Non mihi credis? D. hariolare. P. sin fidem do. D. fabulae.

P. Foeneratum istuc beneficium tibi pulchre dices. D. logi.

P. Crede mihi, gaudebis facto. verum hercle hoc est. D. somnium.

P. Experire, non est longum. D. Cantilenam eandem canis. 10

P. Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu. D. garris modo.

P. Adeone ingenio esse duro te, atque inexorabili, *Hypercatalecticus.*
 Ut neque misericordia, neque precibus molliri queas?

D. Adeon' te esse incogitantem, atque impudentem Phaedria,

Ut phaleratis dictis ducas me, & meam ductes gratiis? 15

A. * Miseritum est. P. hei veris vincor. G. quam est uterque simili' *Tibra. pro Trocb.*
 * sui?

P. Neque, alia Antipho cum occupatus esset sollicitudine,
 Tum esse hoc mi obiectum malum? AN. ah, quid istuc autem est
 Phaedria?

P. O fortunatissime Antipho. A. egone? P. cui, quod amas, do-
 mi est:

Nec cum hui' modi unquam usus venit ut conflictares malo. 20

A. Mihi domi est? immo, quod aiunt, Auribus teneo lupum.

Nam neque quo amittam a me invenio: neque uti retineam, scio.

P. Ipsum istuc mihi in hoc est. A. eia, ne parum leno fies.

Num quid hic confecit? P. hicine quod homo inhumanissimus:

Pamphilam meam vendidit. G. quid? vendidit? A. ain' vendidit? 25

P. Vendidit. D. quam indignum facinus, ancillam aere emptam suo.

F f f f f f f f

P. Ne-

Triduum dissyll.

P. Nequeo exorare ut maneat, & cum illo uti mutet fidem,
Triduum hoc: dum id, quod est promissum ab amicis, argentum
aufero.

Si non tum dedero, unam praeterea horam ne opertus fies.

D. Obtundi? A. haud longum est, quod orat Dorio, exoret sine. 30

Idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicaverit.

D. Verba istaec sunt. A. Pamphilamne hac urbe privari fines?

Tum tu praeterea horum amorem distrahi poterin' pati?

D. Neque ego, neque tu. G. Di tibi omnes id quod est dignum
duint.

D. Ego te complureis advorsum ingenium meum menses tuli 35

Pollicitantem, & nil ferentem, flentem: & nunc contra omnia haec,
Repperi qui det, neque lacrumet: da locum melioribus.

A. Certe hercle satis si commemini, tibi quidem est olim dies,

Quam ad dares huic, praestituta. P. factum. D. num istuc ego * nego?

A. Iamne ea praeteriit? D. non, verum ei haec antecessit. A. non
pudet 40

Vanitatis? D. minime, dum ob rem. G. sterquilinium. P. Dorio

Itane tandem facere oportet? D. sic sum: si placeo, utere.

A. Sicine hunc decipis? D. immo enimuero Antipho hic me decipit.

Nam hic me huiusmodi esse scibat: ego hunc esse aliter, credidi.

Ipse me fefellit: ego isti nihilo sum aliter, ac fui. 45

Sed utut haec sunt, tamen hoc faciam: cras mane argentum mihi

Miles se dare dixit: si mihi prior tu attuleris Phaedria,

Mea lege utar, ut potior sit, qui prior ad dandum est. Vale.

*Tibra, pro Troch.**Prior, una syll.*

Dorio audi obsecro. D. non audio. P. parumper. D. quin omitte me. In hunc versum ita Interpres, Sunt qui sic legant, ut Dorio Phaedria dicat: Laeno, audi: iterum Phaedria, obsecro. Certe qui ita orationem distinguebant id viderunt non petere Phaedriam a Laenone ut audiret, sed ut parumper Laeno pecuniam expectaret. Neque enim respondisset Laeno, non audio, si audientiam tantum adolescens postularet: id siquidem respondere solemus, cum quod petitur non concessuros nos significamus. Ego distinguendam hanc orationem non puto: cum illud AVDI Laenoni tam obstinato ad denegandum minus convenire videatur. Versum esse Trochaicum constat, si AVDI non detrahimus, Hypercatalecticum, cum DORIO primam habeat longam, a muneribus enim, non ab basta nomen habet, & in hac ipsa Scena bis prima producta reperitur: sin detrahimus, & sententiae consulitur, & versus Trochaicus fiet catalecticus, quales qui sequuntur omnes, qui quidem Troch. sunt. Parumper illud Phaedriae ad expectationem pecuniae, non ad audientiam referri debere omnino confirmo: sequitur enim, Nequeo exorare, ut maneat triduum hoc? Locus hoc habere sententiae videtur, Dorio, inquit, Phaedria, expecta obsecro dum pecuniam conficio. Surdo, inquit Dorio, fabulam narras, missum me fac, molestus es. Hic Phaedria. Audi quod dicam Dorio, non me capis. quod parumper peto ut expectes, est ut triduum tantum expectes, ne quod parumper ut expectas peto, putes petere me hominum aliorum more ut in multos dies, aut menses expectes.

(A. Miseritum est. P. bei veris vincor. G. quam est uterque simili sui?)

In hac Scena versus non est alius difficilior intellectu. Miseritum est, dicere per Ironiam Antiphonem vult Interpres: quod ego illi assentior. At quid sit Veris vincor: quid, Quam est uterque similis sui, neque ille dicit, neque ego assequor. Scriptum fuisse credo, Hei verbis vincor. Vincebat enim Laenonis in negando pertinacia, & loquacitas adolescentis ingenui atque liberalis pudorem. Quamobrem secum Geta, quam Laenonis, inquit, mores Laeno habet, & Phaedria pudentis atque liberalis adolescentis, qui verbis a Laenone vincatur.

ACT. III. SCENA III.

PHAEDRIA. ANTIPHO. GETA.

*Trochaici Otonarii
catalectici.*

QVID faciam? unde ego nunc tam subito huic argentum inveniam
miser,

Cui minu' nihilo est? quod si hic potuisset nunc exorariet

Triduum hoc, promissum fuerat. A. itane hunc patiemur Geta

Fieri miserum, qui me dudum, ut dixi, adiuric comiter?

Quin, cum opus est, beneficium rursus ei experimur reddere. 5

G. Scio equidem hoc esse aequum. A. age ergo, solus servare,
hunc potes.

G. Quid

G. Quid faciam? A. invenias argentum. G. cupio: sed id unde, edoce.

A. Pater adest hic. G. scio: sed quid tum? A. ah, dictum sapienti fat est.

G. Itane. A. ita. G. sane hercle pulchre suades: etiam tu hinc abis? Non triumpho, ex nuptiis tuis si nil nanciscor mali. 10

Ni etiam nunc me huius quaerere causa in malo iubeas crucem?

A. Verum hic dicit. P. quid? ego vobis Geta alienus sum? G. haud puto.

Sed parum ne est, quod nunc nobis omnibu' succenset senex, Ni instigemus etiam, ut nullus locu' relinquatur preci?

P. Aliu' ab oculis meis illam hinc in ignotum abducat locum? hem: 15

Dum igitur diem licet, dumque adsum, loquimini mecum Antipho. Contemplamini me. A. quamobrem? aut quidnam facturus cedo? 20

P. Quoque hinc asportabitur terrarum, certum est persequi, Aut perire. G. Di bene vortant quod agas: pedetentim tamen.

A. Vide, si quid opis potes afferre huic. G. si quid: quid? A. quaere obsecro, 20

Nequid plus minusve faxit, quod nos post pigeat Geta.

G. Quaero: salvos est, ut opinor. verum enim metuo malum.

A. Noli metuere: bona una tecum, malaque tolerabimus.

G. Quantum argenti opus est tibi? loquere. P. solae triginta minae:

G. Triginta? hui, per cara est Phaedria. P. istaec vero vilis est. 25

G. Age age, inventas reddam. P. o lepidum caput. G. aufer te hinc. P. * iam opus est.

G. Iam feret. sed opu' est mihi Phormionem adiutorem ad rem hanc dari.

A. Praesto est: audacissime oneris quid vis impone, & feret.

Solus est homo amico amicus. G. eamus ergo ad eum ocyus:

P. Abi: dic, praesto ut sit domi.

A. Nunquid est quod mea opera vobi' opu', sit? G. nil. verum abi domum, & 30

Illam miseram, quam ego nunc intu' scio esse exanimatam metu, Consolare. cessas? A. nihil est, aequae quod faciam lubens.

P. Qua via istuc facies? G. E. dicam in itinere: modo te hinc amove.

ACT. IV. SCENA I.

DEMIPHO. CHREMES.

QVID? qua profectus causa hinc es Lemnum Chremes, Adduxtin tecum filiam? C. non. D. quid ita? C. post

Quam me eius mater videt hic esse diutius,

Simul autem non manebat aetas virginis

Meam negligentiam: ipsam cum omni familia ad

Me esse profectam aiebant. D. quid illic tum diu

Quaeso igitur commorabare, ubi id audiveras?

C. Pol me detinuit morbus. D. unde? aut qui? C. rogas?

Senectus ipsa est morbus. Sed venisse eas

Salvas audivi ex nauta, qui illas vexerat. 10

D. Quid gnato obtigerit me absente, audistin Chremes?

C. Quod me equidem factum, consilii incertum facit:

Nam hanc conditionem si cui tulero extrario:

Quo pacto, aut unde mihi sit, dicendum ordine est.

Te mihi fidelem esse aequae, atque egomet sum mihi, 15

Scibam: ille si me alienus affinem volet,

Tacebit, dum intercedet familiaritas:

Sin spreverit me, plus quam opus est scito, sciet.

F f f f f f f f 2

Diem una syll. hunc versum citat PRISC. sine *Diem*, ego malo propter elegantiam syll. facere unam quam tollere, cum ea dictione sublata versus etiam aliquid desideret.

Tribrach. pro Troch. Et hic *Phormionem* non *Pbormionem* scribendum fuit, ut prima syllaba corriperetur.

30 Troch. cat. *Abi*, posteriore brevi.

Senarii.

Ve-

Vereorque, ne uxor aliqua hoc resciscat mea.
 Quod si fit, uti me excutiam, atque egrediar domo,
 Id restat: nam ego meorum solus sum meus.
 D. Scio ita esse: & istaec mihi res sollicitudini est:
 Neque defetiscar unquam ego experirier,
 Donec tibi id, quod pollicitus sum, effecero.

20

ACT. IV. SCENA II.

G E T A.

Senarii.

Ego hominem callidiorum vidi neminem
 Quam Phormionem: venio ad hominem, ut dicerem
 Argento opus esse, & quo pacto confieret id:
 Vix dum dimidium dixeram, intellexerat.
 Gaudebat: me laudabat: quaerebat senem:
 Dis gratias agebat, tempus sibi dari,
 Ostenderet ubi Phaedriae nihilo minus
 Amicum se esse, quam Antiphoni: hominem ad forum
 Iussi opperiri: eo me esse adducturum senem.
 Eccum ipsum. qui est ulterior? at at at Phaedriae
 Pater venit. quid pertimui autem bellua?
 An quia, quos fallam, pro uno duo sunt mihi dati?
 Commodius esse opinor duplici spe utier.
 Petam hinc, unde a primo institui: is si dat, sat est:
 Si ab hoc nil fiat, tum hunc adoriar hospitem.

5

10

15

ACT. IV. SCENA III.

ANTIPHO. GETA. CHREMES. DEMIPHO.

Senarii.

EXSPECTO quam mox recipiat huc sese Geta:
 Sed patrum cum patre video astantem: hei mihi,
 Quam timeo, adventus huius quo impellat patrem.
 G. Adibo hosce: o noster Chremes. C. salve Geta.
 G. Venire saluum volupe est. C. credo. G. quid agitur?
 C. Multa adveniendi, ut fit, nova hic compluria.
 G. Ita, de Antiphone audisti quae facta. G. omnia.
 G. Tun' dixeras huic? facinus indignum Chreme:
 Sic circumiri. D. cum hoc id agebam commodum.
 G. Nam hercle ego quoque id quidem mecum agitans sedulo,
 Inveni opinor, remedium huic rei. D. quid Geta?
 Quod remedium? G. ut abii abs te, fit forte obviam
 Mihi Phormio. C. qui Phormio? G. is, qui istam. C. scio.
 G. Visum est mihi, ut eius tentarem sententiam:
 Prehendo hominem solum. Cur non, inquam, Phormio
 Vides, inter vos sic haec potius cum bona
 Ut componantur gratia, quam cum mala?
 Heru' liberalis est, & fugitans litium:
 Nam caeteri quidem hercle amici omnes modo
 Vno ore autores fuere, ut praecipitem hanc daret.
 A. Quid coeptat? aut quo evadet hodie? G. an legibus
 Daturum poenas dices, si illam eiecerit?
 Iam id exploratum est: eia sudabis satis,
 Si cum illo inceptas homine: ea eloquentia est.
 Verum pone esse victum eum, at tandem tamen
 Non capiti, eius res agitur, sed pecuniae.
 Postquam hominem iis verbis sentio mollirier:
 Soli sumus nunc hic inquam. eho dic quid velis

15

20

25

Tibi

Commodum.) Tan-
 tum quod. CICERO
 ad Fab. Gallum epist.
 lib. VII. Tantum quod
 veneram ex Arpina-
 ti cum mihi &c.

Tibi dari in manum, ut herus iis desistat litibus:
 Haec hinc faceſſat, tu moleſtus ne ſies. 30
 A. Satin' illi Di ſunt propitii? G. nam ſat ſcio,
 Si tu aliquam partem aequi bonique dixeris:
 Ut bonus ille vir eſt, tria non commutabit
 Verba hodie inter vos. D. quis te iſtaec iuſſit loqui?
 C. Immo non potuit melius perveniri 35
 Eo quo nos volumus. A. occidi. C. perge eloqui.
 G. A primo homo inſanibat. C. cedo, quid poſtulat?
 G. Quid? nimium: quantum libuit. C. dic. G. ſi quis daret
 Talentum magnum. C. immo malum hercle: ut nil pudet?
 G. Quod dixi adeo ei, Quaefo quid ſi filiam 40
 Suam unicam locaret? parvi retulit
 Non ſuſcepſiſſe: inventa eſt quae dotem petat.
 Ad pauca ut redeam, ac mittam illius ineptias:
 Haec denique eius fuit poſtrema oratio:
 Ego, inquit, a principio amici filiam, 45
 Ita ut aequum fuerat, volui uxorem ducere,
 Nam mihi veniebat in mentem eiu' incommodum,
 In ſervitutem pauperem ad ditem dari:
 Sed mihi opus erat, ut aperte tibi nunc fabuler,
 Aliquantulum quae afferret, qui diſſolverem 50
 Quae debeo: & etiam nunc, ſi volt Demipho
 Dare, quantum ab hac accipio, quae ſponſa eſt mihi,
 Nullam mihi malim, quam iſtanc, uxorem dari.
 A. Vtrum ſtultitia facere ego hunc an malitia,
 Dicam, ſcientem, an imprudentem, incertu' ſum. 55
 D. Quid ſi animam debet? G. ager oppoſitu' eſt pignori ob
 Decem minas, inquit. D. age iam ducat, dabo.
 G. Aediculae item ſunt ob decem alias. D. hoi huī,
 Nimium id eſt. C. ne clama: petito haſce a me decem.
 G. Vxori emunda ancillula: tum autem pluſcula 60
 Supelleſtile opus eſt: opu' ſumptu ad nuptias:
 His rebus pone ſane, inquit, decem minas.
 D. Sexcentas potius ſcribito iam mihi dicas.
 Nil do: impuratus me ille ut etiam irrideat?
 C. Quaefo, ego dabo, quieſce: tu modo filius 65
 Fac ut illam ducat, nos quam volumus. A. hei mihi
 Geta, occidiſti me tuis fallaciis.
 C. Mea cauſſa eiicitur: me hoc aequum eſt amittere.
 G. Quantum potes me certioſem, inquit, face,
 Si illam dant, hanc ut amittam, ne incertu' ſim. 70
 Nam illi mihi dotem iam conſtituerunt dare.
 C. Iam accipiet: illis repudium renuntiet,
 Hanc ducat. D. quae quidem illi res vortat male.
 C. Opportune adeo argentum nunc mecum attuli,
 Fructum, quem Lemni uxoris reddunt praedia. 75
 Id ſumam: uxori, tibi opus eſſe, dixero.

ACT. IV. SCENA IV.

ANTIPHON. GETA.

GETA. G. hem. A. quid egisti? G. emunxi argento ſenes. *Senarii*
 A. Satin' id eſt? G. neſcio hercle. tantum iuſſu' ſum.
 A. Ego verbero, aliud mihi reſpondeſ, ac rogo?
 G. Quid ergo narraſ? A. quid ego narrem? opera tua ad
 Reſtim mihi quidem reſ rediit planiſſime. 5
 Ut te quidem omnes Di, Deaque, ſuperi, inferi
 G g g g g g g g Malis

75 *Reddunt.*) Vnde *red-*
ditus geminata ſe-
cunda conſonante

Senarii

5

Malis

Malis exemplis perdant. hem, si quid velis,
 Huic mandes, quod recte curatum quidem
 Velis, ad scopulum qui te e tranquillo inferat.
 Quid minus utibile fuit, quam hoc ulcus tangere, 10
 Aut nominare uxorem? iniecta est spes patri
 Possè illam extrudi: cedo, nunc porro Phormio
 Dotem si accipiet, uxor ducenda est domum.
 Quid fiet? G. enim non ducet. A. novi: caeterum
 Cum argentum repetent, nostra caussa scilicet 15
 In nervum potius ibit. G. Nihil est Antipho,
 Quin male narrando possit depravarier:
 Tu id quod boni est, excerpis: dicis quod mali est.
 Audi nunc contra iam: si argentum acceperit,
 Ducenda est uxor, ut ais: concedo tibi. 20
 Spatium quidem tandem apparandis nuptiis,
 Vocandi, sacrificandi dabitur paululum:
 Interea amici, quod sunt polliciti, argentum dabunt.
 Id istis reddet. A. quamobrem, aut quid dicet? G. rogas?
 Quot res? post illa, Monstra evenerunt mihi, 25
 Introiit in aedes ater alienus canis,
 Angui' per impluvium decidit de tegulis,
 Gallina cecinit. interdixit hariolus,
 Aruspex vetuit ante brumam aliquid novi
 Negoti incipere. quae caussa est iustissima. 30
 Haec fient. A. ut modo fiant. G. fient: me vide.
 Pater exit: abi, dic esse argentum, Phaedriae.

Impluvium.) Impluvium locus est in aedibus sive tectis, quo in domum impluere potest.

Aruspex quia ab *Harruga* derivatur primam vocalem habere debet aspiratam.

ACT. IV. SCENA V.

DEMIPHO. GETA. CHREMES.

Ob. Iamb.

QUIETVS esto inquam. ego curabo, nequid verborum duint.
 Hoc temere nunquam amittam ego a me, quin mihi testeis adhibeam
 Cum dem. & quamobrem dem, commemorabo. G. ut cautus est,
 ubi nihil opus est?

Alii Ne fi.

C. Atque ita opus factu est. at matura, dum libido eadem haec manet.
 * Nam si altera illa magis instabit, forsitan nos reiciat. 5
 G. Rem ipsam putasti. D. duc me ad eum ergo. G. non moror.
 C. ubi hoc egeris,
 Transito ad uxorem meam, ut conveniat hanc priu' quam hinc abit,
 Dicat eam dare nos Phormioni nuptum, ne succenseat:
 Et magis esse illum idoneum, qui ipsi sit familiarior.
 Nos nostro officio nihil egressos esse. quantum is voluerit. 10
 Datum esse dotis. D. quid tua (malum) id refert? C. magni Demipho.
 D. Non sat tuum te officium fecisse, si non id fama approbat?
 C. Volo ipsiu' quoque voluntate hoc fieri, ne se eiectam putet.
 D. Idem ego istuc facere possum. C. mulier mulieri magi' congruet.
 D. Rogabo. G. ubi nunc illas ego reperire possim, cogito. 15

ACT. V. SCENA I.

SOPHRONA *nutrix.* CHREMES.

Iamb. Odo. catal. omnes fere scazon.

QVID agam? quem amicum inveniam misera? aut cui consilia
 Haec referam? aut unde nunc mihi auxilium petam? nam vereor
 Hera ne ob meum suatum indigne iniuria afficiatur:
 Ita patrem adolescentis facta haec tolerare audio violenter.
 C. Nam quae haec est anus, exanimata a fratre quae egressa est
 meo? 5

Troch. ob. cataleptic.

S. Quod

S. Quod ut facerem me egestas impulit, cum scirem infirmas
 Haec esse nuptias, ut id consulerem interea, vita
 Ut in tuto foret. C. certe aedepol, nisi me animu' fallit,
 Aut parum oculi prospiciunt, meae nutricem gnatae video.
 S. Neque ille investigatur. CH. quid agam? S. quid est eiu' pater.
 C. aedon, 10
 An maneo, dum ea quae loquitur magi' cognosco? SO. quod si
 eum nunc
 Reperire possim, nihil est quod verear. CH. ea ipsa est, conloquar. *Octonarii Iambici.*
 S. Qui' hic loquitur? C. Sophrona. S. & meum nomen nominat?
 C. ad me respice.
 S. Dei obsecro vos, est ne hic Stilpho? C. non. S. negas? *Senarius.*
 C. Concede hinc paululum a foribus istorsum fodes Sophrona. 15
 Ne me istoc posthac nomine appellassis. SO. quid? non, obsecro, is
 Es, quem te semper esse dicitasti? C. est. S. quid has metuis fores?
 C. Conclusam hic habeo uxorem saevam: verum istoc de nomine
 Eo perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris
 Effutiretis atque id porro aliqua uxor mea rescisceret. 20
 S. Hem istoc pol nos te hic invenire miserae nunquam potuimus.
 CH. Eho dic mihi, quid tibi rei est cum familia hac, unde exis?
 aut ubi
 Illae sunt? S. miseram me. C. hem, quid est? vivunt ne? S. vivit *Octon. Iamb. catal.*
 gnata:
 Matrem ipsam ex aegritudine miseram mors consecuta est.
 CH. Male factum. S. ego autem, quae essem anus deserta egens,
 ignota, 25
 Ut potui, virginem nuptum locavi huic adolescenti,
 Harum qui est dominus aedium. C. Antiphonine? S. hem, isti ipsi.
 C. quid?
 Duae ne is uxores habet? S. hau obsecro, unam ille quidem hanc
 solam.
 C. Quid illa altera, quae dicitur cognata? S. haec ergo est. C. quid
 ais?
 S. Composito factum est, quo modo hanc amans habere posset 30
 Sine dote. C. Di vestram fidem, quam saepe forte temere
 Eveniunt, quae non audeas optare? offendi adveniens,
 Qui cum volebam, atque ut volebam, collocatam gnatam,
 Quod nos ambo opere maximo dabamus operam, ut fieret,
 Sine nostra cura maxima sua cura haec sola fecit. 35
 S. Nunc quid facto est opus, vide: pater adolescentis venit:
 Eumque animo iniquo hoc oppido ferre aiunt. C. nil pericli est.
 Sed per deos atque homines meam esse hanc, cave resciscat quisquam.
 S. Nemo ex me scibit. CH. sequere me: intus caetera audies. *Ad hunc Oct. Iamb. catal. pertinet prima Scenae sequentis dictio.*

ACT. V. SCENA II.

DEMIPHO. GETA.

Nos *Octo. Iamb. cat. sca-*
 Nostrapte culpa facimus, ut malos expediat esse, *zontes fere omnes.*
 Dum nimium dici nos bonos studemus, & benignos:
 Ita fugias, Ne praeter casam, aiunt: nonne id * fatis erat, *Tribr. pro Iambo.*
 Accipere ab illo iniuriam? etiam argentum est ultro obiectum ei, 5
 Ut sit qui vivat, dum aliquid aliud flagitii conficiat.
 G. Planissime. D. his nunc praemium est, qui recta prava faciunt.
 G. Verissime. D. ut stultissime quidem illi rem gesserimus.
 G. Modo ut hoc consilio possiet discedi, ut istam ducat.
 D. Etiamne id dubium est? G. haud scio hercle, ut homo est. an
 mutet * animum. *10 Tribr. pro Iambo.*

G g g g g g g g 2

G. Hem

Vorsura potius legendum septimo casu, quam *vorsuram* & si *BVD AEO* aliter videtur.

D. Hem, mutet autem? G. nescio: verum, si forte, dico.
 D. Ita faciam, ut frater censuit: uxorem huc eiu' adducam,
 Cum ista ut loquatur. abi Geta, hanc praenuntia venturam.
 G. Argentum inventum est Phaedriae: de iurgio filetur.
 Provisum est ne in praesentia haec hinc abeat. quid nunc porro, 15
 Quid fiet? in eodem luto haesitas: vorsuram solvis
 Geta: praesens quod fuerat malum, in diem abiit: plagae crescunt,
 Nisi prospicis. nunc hinc domum ibo, ac Phanium edocebo,
 Nequid vereatur Phormionem, aut eiu' orationem.

ACT. V. SCENA III.

DEMIPHO. NAVSISTRATA *mulier.*

Olon. Iamb. catal.

AGEDVM ut soles Nausistrata, fac illa ut placetur nobis:
 Ut sua voluntate, id quod est faciundum, faciat. N. faciam.
 D. Pariter opera nunc me adiuves, ac dudum re opitulata es.
 N. Factum volo: ac pol queo minu' viri culpa, quam me dignum
 est.
 D. Quid autem? N. quia pol mei patris bene parta indiligenter 5
 Tutatur. nam ex iis praediis talenta argenti bina
 Capiebat statim: hem, vir viro quid praestat? D. bina quaeso?
 N. Ac rebus vilioribu' multo, duo tamen talenta. D. hui.
 N. Quid haec videntur? D. scilicet. N. virum me natam vellem.
 Ostenderem ego. D. certe scio. N. quo pacto. D. parce sodes, 10
 Ut possis cum illa: ne te adolescens mulier defatiget.
 N. Faciam ut iubes. sed meum virum abs te exire video.

Statim priore longa pro perpetuo & aequaliter.

Vt soles.) Ut facta sunt tua. Vide *act. v. sce. ult.*

ACT. V. SCENA IV.

CHREMES. DEMIPHO. NAVSISTRATA.

Olon. Iamb.

C. HEM Demipho,
 Iam illi datum est argentum? D. curavi illico. C. nollem datum:
 Hei, video uxorem: pene plusquam sat erat. D. cur nolles Chreme?
 CH. Iam recte. D. quid tu? ecquid locutus cum ista es quamobrem
 hanc ducimus?
 C. Transegi. D. quid ait tandem? C. adduci non potest, D. quid
 non potest? 5
 C. Quia uterque utrique est cordi. D. quid nostra istuc? C. magni:
 praeter haec,
 Cognatam comperi esse nobis. D. quid? deliras? C. sic erit:
 Non temere dico: redi mecum in memoriam. D. sati' ne sanus es?
 N. Hau, obsecro vide, ne in cognatam pecces. D. non est. C. ne
 nega:
 Patris nomen aliud est dictum: hoc tu errasti. D. non norat pa-
 trem? 10
 C. Norat. D. cur aliud dixit? C. nunquam hodie concedes mihi,
 neque
 Intelleges? D. si tu narres. CH. pergis? N. mirum hoc quid fiet
 D. Equidem hercle nescio: C. vin' scire? at ita me seruet Iupiter,
 Ut propior illi, quam ego sum, ac tu, nemo est homo. D. Di
 vosfram fidem:
 Eamus ad ipsam uno omnes: nos aut scire, aut nescire hoc volo.
 C. ah. 15
 D. Quid est? C. itane parvam mihi fidem apud te? D. vin' me
 credere?

Vin'

Vin' fati' quaesitum mi istuc? age fiat: quid illa filia
 Amici nostri, quid futurum est? C. recte. D. hanc igitur mittimus?
 C. Quid ni? D. illa maneat? C. sic. D. ire igitur tibi licet Nau-
 sistrata.
 N. Sic pol commodius esse in omneis arbitror, quam ut coeperas, 20
 Manere hanc: nam perliberalis visa est, cum vidi, mihi.
 D. Quid istuc est negoti? C. iam operuit ostium? D. iam. C. O
 Iupiter!
 Di nos respiciunt: gnatam inveni nuptam cum tuo filio. D. hem,
 Quo pacto id potuit? C. non satis tutu' est ad narrandum hic locus.
 D. At tu intro abi. C. heus, ne filii nostri quidem hoc resciscant,
 volo. 25

Potuit.) Subintellige fieri. TERENTIUS in Andria, sed si id non potest. Item alio loco, Rape quantum potest. In Eunuchis item Comprebendi iube quantum potest. Huius Fabulae act. v. Sce. viii. Quantum potest, nunc conveniendus Phormio est. Quod dicendi genus cum omnibus notum non esset, non nulli locos eiusmodi multos corrumpere.

ACT. V. SCENA V.

ANTIPHON.

LAETU' sum, ut ut meae res sese habent, fratri obtigisse quod volt. *Iamb. Oct. cat.*
 Quam est scitum eiusmodi parare in animo cupiditates,
 Quas, cum res adversae fient, mederi possis?
 Hic simul argentum repperit, cura sese expedit:
 Ego nullo possum remedio me volvere ex iis turbis, 5
 Quin si hoc coeletur, in metu, sin patefit, in probro sim.
 Neque me domum nunc reciperem, ni mi esset spes ostensa
 Huiusce habendae. sed ubinam Getam invenire possum, ut
 Rogem, quod tempus conveniendi patri' me capere * iubeat? *Trib. pro Iambo.*

ACT. V. SCENA VI.

PHORMIO. ANTIPHON.

ARGENTVM accepi: tradidi lenoni: abduxi mulierem: *Octon. Iamb.*
 Curavi, propria ea Phaedria ut potiretur: nam emissa est manu.
 Nunc una res restat etiam mihi, quae est conficiunda, otium
 A senibus ad potandum ut habeam: nam aliquot hos sumam dies.
 A. Sed Phormio est: quid ais? P. quid? A. quidnam nunc facturus
 Phaedria? 5
 Quo pacto satietatem amoris ait se velle sumere?
 P. Vicissim parteis tuas acturus est. A. quas? P. ut fugitet patrem,
 Te suam rogavit rursus ut ageres causam, ut pro se diceres.
 Nam potaturus est apud me: ego me ire senibus Sunium
 Dicam ad mercatum, ancillulam emptum, quam dudum dixit
 Geta: 10
 Ne, cum hic non videant me, conficere credant argentum suum.
 Sed ostium concrepuit abs te. AN. vide qui' egrediatur. P. Geta est.

ACT. V. SCENA VII.

GETA. ANTIPHON. PHORMIO.

O FORTVNA, O fors fortuna quantis commoditatibus, *Troch. oct. catal.*
 Quam subito hero meo Antiphoni ope vestra hunc onerastis diem?
 A. Quidnam hic sibi volt? G. nosque amicos eiu' exonerastis metu.
 Sed ego nunc mihi cesso, qui non humerum hunc onero pallio:
 Atque hominem propero invenire: ut haec quae contigerint, sciat? 5
 H h h h h h h h A. Num

A. Num intelligi' quid hic narret? P. num tu? A. nihil. P. tantundem ego.

G. Ad lenonem hinc ire pergam: ibi nunc sunt. A. heus Geta. G. hem tibi:

Num mirum, aut novum est revocari, cursum cum institueri'? A. Geta.

G. Pergin? hercle nunquam tu odio tuo vinces me. A. non manes?

* G. Vapulabis. A. id tibi quidem iam fiet, nisi resistis, verbero. 10

G. Familiariorem oportet esse hunc, qui minitat malum:

Isne est: quem quaero, an non? ipse est. P. congregere actutum. A. quid est?

G. Omnium hominum, quantum est, qui vivant, homo honoratissime

(Nam sine controversia a Dis solus diligere) Antipho.

A. Ita velim. sed qui istuc credam ita esse, mihi dici velim. 15

G. Satin' est, si delibutum gaudio reddo? A. enicas.

P. Quin tu hinc pollicitationes aufer: & quod fers, cedo. G. oh, Tu quoque hic aderas Phormio? P. aderam: sed cessas? G. accipe, hem

Vt modo argentum tibi dedimu' apud forum, recta domum

Sumu' profecti. interea mittit herus me ad uxorem tuam. 20

Quamobrem, omitto proloqui: nam nil ad hanc rem est Antipho. ubi

In gynaeceum ire occipio, puer ad me accurrit Mida:

Pone apprehendit pallio: resupinat: respicio: rogo

Quamobrem retineat me: ait esse vetitum intro ad heram accedere.

Sophrona modo fratrem huc inquit senis introduxit Chremem, 25

Eumque nunc esse intus cum illis: hoc ubi ego audivi, ad fores

Suspensio gradu placide ire perrexi: accessi: astiti:

Animam compressi: aurem admovi: ita animum coepi attendere,

Hoc modo sermonem captans. A. euge Geta. G. hic pulcherrimum Facinus audivi; itaque pene hercle exclamavi gaudio. 30

P. Quod? G. quod nam arbitrare? A. nescio. G. atqui mirificissimum.

Patruus tuus est pater inventus Phanio uxori tuae. A. hem,

Quid ais? G. cum eiu' olim consuevit matre in Lemno clanculum.

P. Somnium: utine haec ignoraret suum patrem? G. aliquid credito

Phormio esse causa: sed me censen' potuisse omnia 35

Intellegere extra ostium, intus quae inter sese ipsi egerint?

P. Atque hercle ego quoque illam audivi fabulam. G. immo etiam dabo,

Quo magis credas: patruu' interea inde huc egreditur foras:

Haud multo post cum patre idem recipit se intro denuo:

Ait uterque tibi potestatem eius habendae se dare. 40

Denique ego sum missus, te ut requirerem, atque adducerem.

A. Hem, quin ergo rape me, quid cessas? G. fecero. A. mi Phormio

Vale. P. vale Antipho: bene, ita me Dei ament, factum.

* G. Vapulabis. A. id tibi quidem iam fiet nisi resistis, verbero.

G. Familiariorem oportet esse hunc, qui minitatur malum.

Scenam hanc e Trochaicis constare catalecticis versus metientibus clarum est. Quare cum prior ille versus neque Trochaicus esset eius mensurae, quam Terentiani versus nunquam excedunt, hoc est, cum neque Octon. esset Catalecticis, neque Hypercatalecticis, incidit animo suspitio, loco aliquid esse additum, vel certe detractum: quid id esse posset, cum reperire non possem cogitando, in codicem incidi, vix dignum, qui mihi fidem facere deberet, nisi iudicii ratio accessisset. In eo ita scriptum reperi,

G. Vapulabis. Curialis vernula est qui me vocata

A. Id tibi quidem iam fiet, nisi resistis verbero.

G. Familiariorem oportet esse hunc qui minitat malum.

Quae lectio propter multas res mihi probatur, versui enim consulitur, & id quod subiecit, Familiariorem esse oportet, qui minitat malum, explicatur magis: vocare enim potuit quisvis, vernula etiam, minitare malum (ut loci huius verbo utar, quo usos antiquos notatum video a PRISCIANO) non nisi, qui in eum ius habeat & imperium: unde in suspitionem

Vbi. Versus huius extrema syllaba a prima sequentis absumitur.

Versum hunc claudit Scenae sequentis initium.

tionem venit Getae, herum esse, a quo vocetur, non vernulam, quemadmodum initio putabat, cui verbera etiam minitaverat. Id unum relinquebatur dubium, quid Curialem vernulam dixisset Poëta, cum Curiales hi dicantur, qui curiae sint eiusdem, curiamque servi non haberent, neque apud Romanos, neque apud Graecos. Ea de re duae animo subibant opiniones, aut legendum, *Familiaris vernula est*, nam & subiecit, *Familiariorum*, & versus utrunque patitur Trochaicus: aut *servos curiales* dici posse, qui dominis serviunt eiusdem curiae. *Populares* enim dicuntur etiam *servi*, qui dominis populi eiusdem serviunt: ita enim sumendum illud puto *Act. I. Sc. I. Amicus summus meus & popularis Geta*. Palliatam enim esse fabulam meminisse debemus, Civitatemque Atheniensem in *divisus* hoc est *populos* divisam fuisse, quemadmodum hodie est Florentina. In curias autem populum quoque Atheniensem fuisse divisum significat, CICERO II. *de Offic.* iis verbis, *Theophrastus scribit quidem, Cimonem Athenis etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse: ita enim instituisse & villicis imperavisse, ut omnia praebentur, quicumque Laciades in villam suam divertissent.* Nam putare ideo a Davo popularem Getam appellatum, quod essent nationis eiusdem, quod interpreti video placuisse, ignorare est, populos fuisse diversos Getas & Davos, & servis nomina dari solita ab eo populo, unde esset quisque. Diversos autem fuisse populos STRABO libro septimo his verbis testatur, *Fuit & alia regionis divisio ex antiquis permanens temporibus, alios enim Dacos alios Getas appellant: Getas quidem, qui ad Pontum in Orientem vergunt, Dacos autem, qui in oppositum versus Germaniam & ad Istri fontes, quos olim Davos vocatos esse reor. Ex quo apud Athenienses Dacorum & Getarum nomina servilia plurimum abundabant. Hoc sane credibilius est, quam a Scytharum gente derivari, quos Daas vocant: longe enim illi ad Hyrcaniam positi sunt, nec ex eo loco Athenas mancipia deportata putandum est.* Haec Strabo. Regio ergo eadem erat & Davorum & Getarum, & lingua eadem, quemadmodum post paulo scribit idem STRABO, proinde gens eadem, sed in populos varios divisa: neque protinus eiusdem populi dici debent, qui eiusdem sunt nationis.

ACT. V. SCENA VIII.

PHORMIO.

GAVDEO

Tantam fortunam de improvise esse iis datam.
Summa eludendi occasio est mihi nunc senes,
Et Phaedriae curam adimere argentariam,
Ne cuiquam suorum aequalium supplex fiet.
Nam idem hoc argentum ita ut ingratiis est datum,
Iis datum erit. hoc qui cogam, reapsa repperi.
Nunc gestus mihi, voltusque est capiendus novus.
Sed hinc concedam in angiportum, * hoc proximum.
Inde iisce ostendam me, ubi erunt egressi foras.
Quo me assimularam ire ad mercatum, non eo.

Senarii.

5

10

Angiportus.) Genere masculino CICERO dixit I. *lib. de Divinatione.* Nam & ex borreis effusum frumentum omnes vias angiportusque constraverat. Vide ff. *de verborum significatione* L. *portus*. 34. PRISCIANVS legit hunc versum, ut probet etiam genere masculino Angiportum reperiri. Genere neutro legimus in *Eunucho Act. V. Sc. II.* Vbi vidi, ego me in pedes quantum queo in angiportum quoddam desertum.

ACT. V. SCENA IX.

DEMIPHO. PHORMIO. CHREMES.

Dis magnas merito gratias habeo, atque ago,
Quando evenere haec nobis frater prospere.
Quantum potest, nunc conveniendus Phormio est,
Prius quam dilapidet nostras triginta minas,
Ut auferamus. P. Demiphonem si domi est
Visam, ut quod. D. at nos ad te ibamus Phormio.
P. De eadem hac fortasse causa? D. ita hercle. P. credidi.
Quid ibatis? ridiculum. an ne verebamini,
Ne non id facerem, quod recepissem semel?
Heus heus, quanta haec mea paupertas est, tamen
Adhuc curavi unum hoc quidem, ut mi esset fides.
C. Estne ea ita, ut dixi, liberalis? D. oppido.
P. Itaque ad vos venio nuntiatum Demipho,

Senarii.

Conveniendus.) Inveniendus.

5

10

Est ne ea ita.) Versus hic initium esse Scenae videtur.

Pa-

Mibi.) Parcelcon est.

Apud forum.) Vbi argentarii habitabant.

Imo ve anapaestus.

Porro.) Amplius.

Nisi pro sed.

Nostro modo.) Nostro arbitrio.

Haereo.) Captus sum.

Paratum me esse. ubi voltis, uxorem date. 15
 Nam omneis posthabui mihi res, ita uti par fuit,
 Postquam tantopere id vos velle animum advorteram.
 D. At hic dehortatus est me, ne illam tibi darem.
 Nam qui rumor erit populi inquit, si id feceris?
 Olim cum honeste potuit, tum non est data.
 Nunc viduam extrudi turpe est. ferme eadem omnia, 20
 Quae tute dudum coram me incusaveras.
 P. Satin' superbe illuditis me? D. qui? P. rogas?
 Quia ne alteram quidem illam potero ducere.
 Nam quo redibo ore ad eam, quam contempserim?
 C. Tum autem Antiphonem video ab sese amittere 25
 Invitum eam, inque. D. tum autem video filium
 Invitum sane mulierem ab se amittere.
 Sed transi sodes ad forum, atque illud mihi
 Argentum iube rursus rescribi Phormio.
 P. Quod? nae ego perscripsi porro illis, quibu' debui. 30
 D. Quid igitur fiet? P. si vis mi uxorem dare,
 Quam despondisti, ducam: sin est, ut velis
 Manere apud te illam, hic dos maneat, Demipho.
 Nam non est aequum, me propter vos decipi.
 Cum ego vestri honoris causa repudium alteri 35
 Remiserim, quae tantundem dotis dabat.
 D. I hinc in malam rem cum istac magnificentia
 Figitive. etiam nunc credis te ignorarier,
 Aut tua facta adeo? P. irritor. D. tu ne hanc duceres,
 Si tibi data esset? P. fac periculum. D. ut filius 40
 Cum illa habitet apud te. hoc vestrum consilium fuit.
 P. Quaeso quid narras? D. quin tu mi argentum cedo.
 P. Imo vero, tu uxorem cedo. D. in ius ambula.
 P. Enimvero si porro esse odiosi pergitis.
 D. Quid facies? ego ne? vos me indotatis modo 45
 Patrocinari fortasse arbitramini.
 Etiam dotatis soleo. C. quid nostra id? P. nihil.
 Hic quandam noram, vir cuiu' uxorem. C. hem. DEM. quid est?
 P. Lemni habuit aliam. C. nullus sum. P. ex qua filiam 50
 Suscepit, & eam clam educat. C. sepultu' sum.
 P. Haec adeo ego illi iam denarrabo. C. obsecro,
 Ne facias. P. oh, tu ne is eras? D. ut ludos facit.
 C. missum te facimus. P. fabulae. C. quid vis tibi?
 Argentum quod habes, condonamus te. P. audio. 55
 Quid nos (malum) ergo me sic ludificamini,
 Inepta vestra puerili sententia?
 Nolo, volo: volo, nolo rursus: cedo, cape.
 Quod dictum, indictum est: quod modo erat ratum, irritum est.
 C. Quo pacto, aut unde haec hic rescivit? D. nescio. 60
 Nisi me dixisse nemini id certo scio.
 C. Monstri, ita me Dei ament, simile. P. inieci scrupulum. D. hem,
 Hiccine ut a nobis hoc tantum argenti auferat
 Tam aperte irridens? emori hercle satius est.
 Animo virili praesentique ut sis, para. 65
 Vides tuum peccatum esse elatum foras,
 Neque iam id coelare posse te uxorem tuam.
 Nunc ipsa quod ex aliis auditura Chreme sit,
 Id nosmet indicare placabilius est.
 Tum hunc impuratum poterimus nostro modo 70
 Vlscisci. P. at at at, nisi mihi prospicio, haereo.
 Ii gladiatorio animo ad me adfectant viam.
 C. At vereor, ut placari possit. D. bono animo es:
 Ego vos in gratiam redigam, hoc fretus, Chreme, 75
 Cum

Cum excessit de medio, unde haec suscepta est tibi.
 P. Itane mecum agitis? satis astute aggredimini.
 Non hercle ex re istiu' me instigasti Demipho.
 An tu, ubi peregre tibi quod libitum fuit feceris,
 Neque sis veritu' huius foeminae primariae,
 Quin novo ei faceres contumelias modo,
 Venias nunc precibus lautum peccatum tuum?
 Iisce ego dictis illam ita tibi incensam dabo,
 Ut ne restinguas lacrumis, si extillaveris.
 D. Malum, quod isti di, deaque omnes duint.
 Tanta ne affectum hominem quenquam esse audacia?
 Nonne hoc publicitus scelus hinc deportarier
 In solas terras? C. id redactus sum loci,
 Ut quod agam cum illo, nesciam prorsu'. D. ego scio.
 In ius eamus. P. in ius? huc, si quid lubet.
 C. Assequere, ac retine, dum huc ego servos evoco.
 D. Solus enim nequeo. accurre huc. P. una iniuria est
 Tecum. D. lege agito ergo. P. altera est tecum Chreme.
 D. Rape hunc. P. itan agiti' enimvero voce est opus.
 Nausistrata exi. C. os opprime. D. impurum vide,
 Quantum valet. P. Nausistrata inquam. C. non taces?
 P. Taceam? C. ni sequitur, pugnos in ventremingere.
 P. Vel oculum exculpe. P. est, ubi vos ulciscar, locus.

75

80

85

90

95

*Facere contumelias.)
 Facere contumeliam
 latine dici CICERO
 negat Philippica se-
 cunda.*

ACT. V. SCENA X.

NAUSISTRATA. CHREMES. PHORMIO.
 DEMIPHO.

Qvis nominat me? C. hem. N. quid mi vir turbae obsecro istuc
 Est? P. hem, quid nunc obticuiisti? NAV. quis hic homo est?
 Non mihi respondes? P. hicne ut tibi respondeat,
 Qui hercle ubi sit, nescit? C. quidnam isti credas cave.
 P. Abi: tange. si non totus friget, me eneca.
 C. Nihil est. N. quid ergo? quid istuc narrat? P. iam scies.
 Ausculta. C. pergin' credere? N. quid ego obsecro
 Huic credam, qui nil dixit? P. delirat miser
 Timore. N. non pol temere est, quod tu tam times,
 C. Ego timeo? P. recte sane. quando nil times,
 Et hoc nihil est, quod dico ego: tu narra. D. scelus
 Tibi narret? P. eho tu, factum est abs te sedulo
 Pro fratre. N. mi vir non mihi narras? CH. at. N. quid at?
 C. Non opus est dicto. P. tibi quidem. at scito huic opu' est.
 In Lemno. C. hem, quid ais? D. non taces? P. clam te. C. hei
 mihi.
 P. Vxorem duxit. N. mi homo, Di melius duint.
 P. Sic factum est. N. perii misera. P. & inde filiam
 Suscepit iam unam, dum tu dormis. C. quid agimus?
 N. Pro Di immortales, facinus indignum, & malum.
 P. Hoc actum est. N. an quidquam hodie est factum indignius?
 Qui mi, ubi ad uxores ventum est, tum fiunt senes.
 Demipho te appello. nam me cum hoc ipso distaedet loqui.
 Haecine erant itiones crebrae, & mansiones * diutinae
 Lemni? haecine erat, quae nostros fructus minuebat vilitas?
 D. Ego Nausistrata esse in hac re culpam meritam non nego:
 Sed eam, quae sit ignoscenda. P. Verba fiunt mortuo.
 D. Nam neque neglegentia tua, neque odio id fecit tuo.
 Vinolentus, fere ab hinc annos quindecim, mulierculam
 Eam compressit, unde haec nata est: neque post illa unquam attigit.

*Senarii huius primi
 extrema syllaba ini-
 tium est sequentis
 versus.*

5

10

15

20

25

*Troch. Oct. catal.
 Trib. pro Troch.*

*Meritam.) Comis-
 sam.*

*Tua tuo.) Pro tui
 more graeco.*

Et alia tua facta sunt.) Vt dignum est tuis factis, vel ut soles. Tribus enim iis modis eam sententiam variat TERENTIVS.

** Defungier.)* Mori.

Commodum.) Animus, voluntas.

Purgat.) Veniam petit. quod ante dicebat *Precibus lavat peccatum suum. Sc. superiore: Venias nunc precibus lotum peccatum tuum.*

Benigne.) Liberaliter.

Cupio.) Non solum volo.

Ea mortem obiit: e medio abiit: qui fit in re hac scrupulus: 30
Quamobrem te oro, ut alia tua sunt facta, aequo hoc animo feras.
N. Quid ego aequo animo? cupio misera in hac re iam * defungier:
Sed quid sperem? aetate porro minu' peccaturum putem?
Iam tum erat senex, senectus si verecundos facit.

An mea forma, atque aetas nunc magis expetenda est, Demipho? 35
Quid mi hic affers, quamobrem expectem, aut sperem porro nunc fore?

P. Exequias Chremi quibus ire est commodum, iam tempus est.
Sic dabo. age, age nunc, Phormionem qui volet, laceSSito.

Faxo tali eum maclatum, atque hic est, infortunio.

Redeat sane in gratiam: iam supplicii satis est mihi. 40

Haec habet, ei quod, dum vivat, usque ad aurem obganniat.

N. An meo merito cedo? quod ego nunc commemorem Demipho
Singulatim, qualis in istum fuerim? D. novi aequae omnia

Tecum. N. merito hoc meo videtur factum? D. minime gentium:
Verum quando iam accusando fieri infectum non potest, 45

Ignosce: orat: confitetur: purgat: quid vis amplius?

P. Enimvero priu' quam haec dat veniam, mihi prospiciam, &
Phaedriae.

Heus Nausistrata, prius quam huic respondes temere, audi. N. quid est?

P. Ego minas triginta ab illo per fallaciam abstuli:

Eas dedi tuo gnato: is pro sua amica Lenoni dedit. 50

C. Hem, quid ais? N. adeo hoc indignum tibi videtur, filius

Adolescens, homo, si habet unam amicam, te uxores duas

Nil pudere? quo ore illum obiurgabis? responde mihi.

D. Vt voles faciet. N. imo ut iam scias meam sententiam,

Neque ego ignosco, neque promitto quidquam, neque respondeo, 55

Priu', quam gnatum video: eius iudicio permitto omnia:

Quod iubebit is, faciam. P. mulier sapiens Nausistrata, es.

N. Est tibi satis? P. immo vero pulchre discedo, & probe, &

Praeter spem. N. tum tu dic nomen tibi quod est. P. mihi? Phormio,

Vestrae familiae hercle amicus, & tuo summus Phaedriae. 60

N. Phormio, at ego aecastor posthac tibi quod potero, & quae

voles

Faciamque, & dicam. P. benigne dicis. N. pol meritum est tuum.

P. Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam Nausistrata, &

Quod tuo viro oculi doleant? N. cupio. P. me ad coenam voca.

N. Pol vero voco. D. eamus intro hinc. N. fiat: sed ubi est Phae-

dria 65

Iudex noster? PH. iam hic faxo aderit. Vos valete, & plaudite.

F I N I S.

CALLIOPIVS RECENSVI.

GOVEANVS RECENSVI.

ANTONII GOVEANI
IACOBO BELLINAE

ANTONII GOVEANI EPIGRAMMATVM

LIBRI DVO.

[*EDITIONIS PRIORIS.*]

Indice: pag. 717

Vale legimus III. Colon. Aliae [MDCXXIX.]

ANTONIUS GOVEANVS

IACOBO BELNAEO

S A L V T E M.



VM interim a gravioribus me cogitationibus recolligerem, si quid argute scribi posse videbam, id epigrammate concludere laborabam: praesertim cum ad scribendum esset animus, esset ea facultas, quam usu quidem litterarum prope nullo partam, & conquistam, exercitatio potuit aliqua confirmare, amicorumque accederet inani fortasse spe, incensa tamen, ac inflammata exhortatio. Verum cum ad novos & veteres scriptores, qui in hoc genere clari ac nobiles extitere, cogitationem paulisper referebam, frangi me animo, debilitarique, nescio quomodo, sentiebam: qui novitatis illos nomine non displicere, hos antiquitatis gratia probari plurimum intelligerem: quorum altero ad nostrorum laborum commendationem abuti non possem, altero ne uti quidem vellem. Nam ut de CATULLO initio dicam, magnus profecto vir fuit, multarum, magnarumque artium cognitione instructus, multa subtiliter, multa graviter invenit, Romane scripsit non pauca, eius tamen scripta CATULLO plurimum, CATULLVM suis scriptis parum debere, statuebam. Quae si religionis metu deposito, quo nos impeditos ac irretitos tenet antiquitas, expendere velimus, nihil quod ad ingenii acumen, orationis puritatem pertineat, fortasse desideres, cur nova esse non possint, non intelligas. Hunc P. VAL. MARTIALIS, ut longo temporum secutus intervallo, ita victum, superatumque in omnes partes reliquit. De quo sic iudico: magnas esse huius viri, & admirabiles in eo genere virtutes, non quae aliorum possint industriam refringere, conatumque retardare. CLAUDIANVS post multo laude, quam ex Panegyricis duobus tulerat, non contentus, ad banc quoque aspiravit, cuius ne umbram quidem, meo iudicio, est affecutus. Nostra & patrum memoria nimium multos tulit: qui neque ingenii commendatione, neque novitatis gratia caruerunt. Quae nobis etsi deesse vel non potest, vel certe non debet, ita est optanda, ut si nulla ingenii, nulla industriae, nulla dictionis virtute commendetur, iubeam nihil esse valituram. Mibi profecto factum abunde erit satis, haec si ita legas, ut intelligas, intelligas ut iudices, iudices ut vitiis minime concedas, neque virtutes, quae sentio quam sint exiguae, suo fructu privatas esse patiaris. Quae censura in posterum nos vel deterriti plane, vel certe retardati, ad scribendum paulo erimus tardiores.

Vale. Lugduni III. Calend. Maias. [MDXXXIX.]

ANTONII GOVEANI
EPIGRAMMATVM
LIBER PRIMVS.

Ad Catharinam Bosremontanam.

EPIGRAMMA

I.

Sume patrociniū nostrī, Catharina, libelli,
Cum domino valde qui cupit esse tuus.
Quod non ante dedi, dare nunc, Catharina, licebit:
In dominum scis me iuris habere nihil.

Ad Libellum.

EPIGRAMMA

II.

Si quisquam esse novum dicat te forte, Libelle,
Excutiatque sua protinus ille manu.
Si licet, & fas est, huic tu sic dicito, Amice
Heus Lector, veteres non ne fuere novi?

Ad Andraeam Goveanum fratrem.

EPIGRAMMA

III.

Miraris, genio sine
Quod scribo, invidiae sollicitus nihil.
Mi frater, genio sine
Non est invidiae sollicitus liber.

Ad Ausonium.

EPIGRAMMA

IV.

Salva tibi veterum maneat modo regula morum,
Ludat, ais, mixtis sobria Musa iocis.
At veterum pereat quamvis mihi regula morum,
Sordidulos fugiet pagina nostra iocos.
Namque fatis fuerit caste vixisse tacentem:
Scribenti non est vita pudica fatis.

D. M. Ioannis Barollae.

EPIGRAMMA

V.

In quo certarunt Fortuna, Scientia, Virtus,
Barolla exiguo conditur hoc tumulo.
At vivos inter Fortuna, Scientia, Virtus,
Casurum nullo tempore nomen habent.
Si quaeris, quid non una sint ista sepulta,
Exiguo a tumulo non potuere capi.

De Pica Ioannis Crucei Picardi.

EPIGRAMMA

VI.

Pica loquax Crucei studium est: Picardia nam-
que
Dicta illi a Pica est, fallitur usque tamen.
Crediderim Pici deductum a nomine nomen:
Martia gens etenim est: Martia Picus avis.

D. M. Huberti.

EPIGRAMMA

VII.

Credidit Hubertus vitam non esse secundam:
Flagitiis nullum constituitque modum.
O quam gnara mali mens, quam praefaga futuri
est!
Aeterna Huberti est mors data flagitiis.

Ad Amicos.

EPIGRAMMA

VIII.

Versibus in nostris, quid vestra tacentur amici
Nomina? quis posset non memor esse sui?
Non haec causa fuit, mihi credite: nomina verum
Cum chartis nolo vestra perire meis.

D. M. Lucillae, e Graeco Vetustissimo.

EPIGRAMMA

IX.

Hoc tumulo Lucilla iaces enixa gemellos,
Ille patri superest: est comes ille tuus.

Ad Arnoldum.

EPIGRAMMA

X.

Si mihi nil debes, quid quaeso indebita solvis,
Sponte tua factus debitor ipse meus?
Esse quid hoc dicam, nisi quod vis debitor esse,
Ut possis isto creditor esse modo?

K k k k k k k k

De

De Barlando.

EPIGRAMMA

XI.

Tartareas Pluto Barlandum traxit in oras,
Obstiterint quamvis Diique Deaque loci:
At cum flagitiis poenam non reperit ullam,
E stygiis subito iussit abire locis.
Id veritus, ne qui terras foedaverat omnes,
Non secus ac terras, Tartara pollueret.

Ad Cath. Bos. e Gallicis Marotti.

EPIGRAMMA

XII.

ME nive candenti petiit Catharina: putabam
igne carere nivem: nix tamen ignis erat.
Non est una fides, non experientia fallax:
Sensi etenim subitis corda cremata rogis.
Ergo ubi tutus ero, nivibus si conditur ardor,
Effugiamque tuas faeve Cupido faces?
Tu Catharina potes subitas extinguere flammam,
Non glacie, aut nivibus, marmoreis vel aquis.
Sed si quae patior, poenae quoque sentiat autor:
Et nostrum flamma flagret uterque pari.

Ad Susannaem.

EPIGRAMMA

XIII.

Quatuor ergo tibi Gallos placet esse Marones,
Teque illos inter quatuor enumeras.
Nae furiosus homo es, sterilis vel Gallia, quae te
Ut vates habeat quatuor, enumerat.

Ad Spinetium.

EPIGRAMMA

XIV.

Nec gramen pastus, nec pinguem mulus avenam,
Est tibi Spineti: pinguis at ille tamen.
Quae sit causa rogas? didicit sic vivere parvo:
Rebus in his multum ponderis usus habet.

Ad Marsum.

EPIGRAMMA

XV.

Solicitas Mariam raucis crebrisque susurris,
Momentoque senex mille remandis Ave.
Hinc tibi promittis felicitis praemia vitae,
Securusque tui fata, diemque manes.
O quam te recti fallax deludit imago,
Non orare putat, labra movere, Deus.

De Briando Vallio.

EPIGRAMMA

XVI.

Cum tonat, ad cellas trepido pede Vallius imas
Confugit, in cellis non putat esse Deum.

Ictus amor, e Graeco Theocriti.

EPIGRAMMA

XVII.

Mella Puer Veneris legeret cum forte, legenti
Extremos digitos noxia fixit apis.
Exclamat, terramque ferit, flatuque dolorem
Frigidulo ignitum vincere tentat Amor.
Sic gemebundus adit Venerem, cui respice, dixit,
Magna perexiguae vulnera Mater apis.
Cui Mater, tibi vis est Nate simillima: nanque
Exigua infligis vulnera saeva manu.

Ad Iacobum Tevium.

EPIGRAMMA

XVIII.

Sepositas epulas media invenisse culina,
A stupido factum Tevius esse negat.
Sepositas epulas, Tevi, invenisse culina,
Nare valere puto, mente carere puto.

Ad Barenum Ciceronianum.

EPIGRAMMA

XIX.

Quod patrem Stygium, Barene, dicis
Neptunum, notulis tuisque mandas,
Dictum crediderim esse Tulliane.

Ad Zebedaeum.

EPIGRAMMA

XX.

Pernicies vini patri caper hostia Baccho.
Concidit, ante aras eluitura nefas.
Bacchi ergo Zebedaeae aras mactaberis ante:
Nanque caper vino mitior esse solet.

De Catello, cui nomen Paris.

EPIGRAMMA

XXI.

Qui tantae voluit tibi urbis esse
Nomen, deliciae Catelle nostrae,
Virtutem ille tuam & sagacitatem,
Tanto nomine visus est vocasse.

De

De Ribaldo.

EPIGRAMMA
XXII.

ESt canis huic nomen Ribaldus, amorque iocique
Cura, labor, studium, deliciaeque meae:
Ore canis patulo, maculoso tegmine, collo
Prominulo ac gracili, corpore & aure brevi:
A pede lunato poples subducitur olli
Inferior triplici barba notata pilo est:
Renibus e latis tenuis se cauda profundit.
Nomen deme, vides in cane turpe nihil.

Ad Catharinam Bosremontanam.

EPIGRAMMA
XXIII.

Sint tibi, sint quamvis, nullae virtutibus, alto
Iudicio, antiqua nobilitate pares,
Nil mirum: tibi quae summi tribuere Deorum
Quis Catharina potest, aut petere, aut capere?

Ad Maximum.

EPIGRAMMA
XXIV.

Dente laboranti, ac medicamina certa petenti,
Vt biberes, vetulae consulere tibi.
Maxime, consilium noceat ne forte, timendum est:
Nanque voles, redeat saepius iste dolor.

Ad Ioannem Bordaeum.

EPIGRAMMA
XXV.

Nostra tuis vinci fateor munuscula donis:
Nec, qua parte, roges: sit satis esse mea.
At tua, quod tua sunt: quid enim plus dicere
possum?
Abs te victa tamen, vincere nemo neget.
Nos igitur quanto superes Bordae, nec ipse
Quamvis multa potes, dicere forte queas.

E Gallicis Antonii Alacris.

EPIGRAMMA
XXVI.

Venus.

ME nudam Paris, & nudam me vidit Adonis,
Ille meus iudex, & meus alter amor.
Verum ubi me Rhodius nudam vidisset Apelles?
Fabula, vidisset scilicet ille Deam.
Sic tamen ad vivum qui me depinxit, oportet
Nudatam Venerem viderit ille quoque.

Ad Salmonium Macrinum.

EPIGRAMMA
XXVII.

CVm tribus Aufoniae certas Macrine poëtis:
Idque lyra, salibus, flebilibusque modis.
Nec frustra multa egregie conaris: at unus
Vix queat Alcides exuperare duos.

Ad Ioannem Cruceum.

EPIGRAMMA
XXVIII.

ARgutis Epigrammatum libellis
Ioto notus in orbe Martialis
Quaeris qui fuerit, negasque notum
Argutis licet usque & usque chartis,
Extremis hominem fuisse terris.
Mendaci arguis, & tenes aperti:
Hispanum tamen esse schema nescis.

De Rege & Nauta.

EPIGRAMMA
XXIX.

Per freta cum veheret Regem diversa patremque
Submersum tumidis Navita fleret aquis,
Rex illi, quis te tantus furor egit inepte,
Ausus ut infido sis dare vela mari?
Cui Vector, molli quid te Rex Optime lecto
Credis, ubi patrem scis periisse tuum?

Ad Medianum.

EPIGRAMMA
XXX.

Rectum Euangelii cursum Mediane retardas,
Lucentemque tegis lampada sub modio.
Quid causae est? faciens contra, ne forte noteris.
Sic odisse solet fur Mediane diem.

De Afello.

EPIGRAMMA
XXXI.

AD coenam sponus veterem invitavit Afellum,
Cui nullus toto corpore sanguis erat.
Hic grandem pro se natum delegat, opusque
Quid factu, & quali cum ratione; docet.
Aulam ipsam quadam cum maiestate subintra:
Saepe recusato membra repone loco.
Si comedant, saltent, cantent, haec omnia Nate
Fac, ut honestatis non videare rudis.
Cui Natus, futuant si forte, quid? id mihi manda,
Atque istic subito, dixit Afellus, ero.

E Gallicis Iacobi Belnaei.

EPIGRAMMA

XXXII.

Forte locum horroris plenum, variique timoris
Et Mors, & penna praepete venit Amor.
Dum trepidant animis, ignita Cupidinis arma
Mors capit, & Mortis frigida tela Puer.
Hinc enata lues nostros irrepfit in annos:
Hinc amat ipse senex, hinc perit omnis amans.

De Monacho.

EPIGRAMMA

XXXIII.

Discite, ait populo Monachus, cum verba
tonaret,
Quam doceret, coepit ante facere Deus.
Qui, stupidus quamvis, lapsus se turpiter esse
Vt videt, errorem quo tueatur ait:
Si brevia extendo, si longa coërceo verba,
Nec retinet tempus syllaba quaeque suum,
Nil mirum est, annis fertur fecisse triginta,
Patris iussa, rudes instituisse tribus.

*De Carolo, & Christophoro Candalleis
fratribus.*

EPIGRAMMA

XXXIV.

Par virtus, par nobilitas, par nobile fratrum
Ornat, commendat par quoque utrumque de-
cor.
Par etiam, ast annis multo prudentia maior:
Caeca quibus voluit non minor esse Dea.
Haec paria ex omni si non data parte fuissent,
Quid maius poterat Iuppiter ipse dare?

De Puella Casta.

EPIGRAMMA

XXXV.

Oscula cum vellet Furius libare Puellae,
Adversam Furi percutit illa genam.
Dixit &, I, manui crepitantia basia fige:
Nanque eadem penitus sunt manus, osque caro.

Ad Catharinam Bofremontanam.

EPIGRAMMA

XXXVI.

SI te, flaventisque comas, oculumque niten-
tem,
Labraque purpureis vividiora rosis,
Si decus hoc rarum, divinum si oris honorem
(Ne quid ego videar dicere forte nimis)

Incessumque gravem, qualem iurem esse Dearum,
Si, quae est virtutum gratia blanda comes,
Si, quae est nobilitas ab avis proavisque relicta,
Quae potuit meritis esse profecta tuis,
Miror, amoque meo quae gratia debita amanti est?
Fac siquidem nolim, cogar amare tamen.

Ad Steph. Doletum.

EPIGRAMMA

XXXVII.

Quid te non laudem, credo Dolete requiris,
Id me tu melius facis.

De Monacho.

EPIGRAMMA

XXXVIII.

Deprensus nemore in medio iussere latrones,
De Christi Monachum religione loqui.
Qui dicto citius, neque enim fas dicere contra,
Paret, & hoc fatus dicitur esse modo:
Acta manus Iuvenum terrae pelagique periculis,
Haec haec, quam sequeris, ducit ad astra via.
Nanque vagabatur terraque marique nec uno
Narratur Christus consenuisse loco.
Tu quoque nunc illuc, nunc huc absque ordine
curris,
Horaque non uno te videt una loco.
Non putrem curvo terram vertebat aratro,
Nec solitus terrae credere semen erat:
Vivebat tamen, & vitae nil defuit unquam:
Hac quoque vos estis commoditate pares.
Quid plura? alta fuit tandem ad subsellia tractus,
Damnatusque: eadem vos quoque fata manent.
Ille cruci affixus vitam cum sanguine fudit:
Non eritis, credo, vos meliore loco.
Umbrarum ille domos, caecaeque cubilia noctis
Visit, & est vobis ista terenda via.
Ille tamen subito coelestia regna revisit:
Non dabitur vobis inde referre gradum.

Ad Andraeam Goveanum fratrem.

EPIGRAMMA

XXXIX.

Accepi frater leporem: tibi ponitur, an non
Id vere est leporem perdere, & accipere?

Ad Catharinam Bofremontanam.

EPIGRAMMA

XL.

Parce mihi, si quod mirari debeo, miror:
Amoque officii oblitus mei.
Et facies: siquidem nulli fas dicere, sis ne
Divinior, an humanior.

Ad Nugivendulum.

EPIGRAMMA

XL I.

SI tanti pergas nihili divendere nugas,
Hoc studium cunctis, hic labor unus erit.
Sic ars, atque artis vilescet protinus usus.
Ergo tibi melius, vende minoris, erit.

Ad Pragmonem.

EPIGRAMMA

XLII.

Destruis, aedificas, rursus, prorsus omnia
versas:
Inque suo, Pragmon, nil finis esse loco.
Vis, credo, dicant nil te fecisse minores:
Omnia, sed dicent, qui faciebat, erat.

De Vetula.

EPIGRAMMA

XLIII.

ET tractare manu Thomam, & vectoris aselli
Vellere certabat credula turba pilos.
Hic Anus in Thomae canos, rarumque capillum
Involat, ac rapido vellicat ungue Senem.
Infremuit Thomas: Anus obstupescita, quid,
inquit,
Non ne pilos Asini vellere cuique datum est?

Ad Iacob. Alenium.

EPIGRAMMA

XLIV.

Qvae nostri nunquam meruere Iacobe labores
Quae nec ego officiis promeruisse puto,
Das mihi, peccatum est, verum tu dicere possis,
Quod mihi plus satis est, non satis esse tibi.

De Pimpino.

EPIGRAMMA

XLV.

Immensum trabe sulcaret dum Pimpinus aequor,
En subito aequoreas concitat Eurus aquas.
Quemque suus casus, sua quemque pericula ter-
rent,
Et grave cuique, avidis piscibus esse cibo.
Pimpinus hic, vobis mors omnibus, inquit, amici,
At mihi sunt gelidae causa timoris aquae.
Nam mare si faceret divina potentia vinum,
Hic vellem tumulum corporis esse mei.

Ad Maximum.

EPIGRAMMA

XLVI.

Importunus ego dicor tibi Maxime semper,
A me cum petitur caseus iste tuus.
Quid tibi vis? vel caseolum da, Maxime, totum,
Vel non des vitio, quod facis ipse, mihi.

Ad Alphasianum.

EPIGRAMMA

XLVII.

Rhetoricae praefers artem Alphasiane cu-
linae:
Pene e sordidulis ut videare coquis.
Esse quid id dicam, nisi quod vis maior haberi
Orator, quam sis Alphasiane coquus?

Ad Vultcium.

EPIGRAMMA

XLVIII.

Inscriptionum, non Epigrammatum libros,
Tuarum ineptiarum Amazonidem vocas.
Erras inepte, Scriptionum sunt libri.

Ad Catharinam Bosremontanam.

EPIGRAMMA

XLIX.

Tvm dabo pro xeniis tibi me Catharina lu-
benter,
Reddideris postquam me Catharina mihi.

Ad Ioannem Cruceum.

EPIGRAMMA

L.

Saepe mihi dicis, res magna est esse patronum:
Esse nihil, dico saepius ipse tibi.
Nam quid id est, quod si in terras mens sana rediret,
In terris nullum posset habere locum?

De Fabro.

EPIGRAMMA

LI.

Quercus erat sterilis medio latissima campo,
Quercus Olympiaci maxima cura Iovis:
Hanc Faber esse Deum voluit: fecitque Priapum,
Inque sacra proprium sede locavit opus.
Turba

Turba novo sua vota Deo cum ferret, & una
 Funderet assuetas cum Faber ipse preces,
 En alta de sede Deus ruit, unius ictu
 Horrendo Fabri comminuitque caput.
 Qui vitam effundens, vix interfatus amicos
 Sic interruptis dicitur esse sonis:
 Discite ab exemplo nova cudere Numina: Quer-
 cus
 Deterior facta est, est ubi facta Deus.

Ad Ioannem Podianum.

EPIGRAMMA

LII.

FErs maiora tuo Podianule corpore dona.
 Quis te oneri tanto crederet esse parem?
 Quis, nisi qui mentem multo tibi noverit esse
 Corpore maiorem, muneribusque tuis?

Ad Catharinam Bofremontanam.

EPIGRAMMA

LIII.

SAepius ardenti per laudes ire tuorum,
 Perque tuas, titubat si, Catharina, manus,
 Culpa tua est: siqua esse potest in Numine culpa:
 Ingenium vati surripis omne tuo.

D. M. Gabrielis Tarragae Medici.

EPIGRAMMA

LIV.

Viderat, & poterat venientem evadere mortem
 Tarraga: at certo maluit ille mori.
 Maluit ille mori, melius quo vivere posset
 In superis. Medicum nil Medicina iuvat?

Ad Steph. Doletum.

EPIGRAMMA

LV.

SI Ciceronis habent animam tua carmina, certe
 Habere tu potes quoque.

Ad Catharinam Bofremontanam.

EPIGRAMMA

LVI.

TE quaeso primam specie virtutis in omni
 Quis dicat, cum sit nulla secunda tibi?

Ad Lectorem sui Euagorae.

EPIGRAMMA

LVII.

ISocratis veneres, numeros, ac lumina possum,
 Lector, si minus assequi,
 Tanta tamen virtus, melius fortasse videri,
 Quam nostro vitio, nequit.

Ad Franc. Francorum Regem.

EPIGRAMMA

LVIII.

E Gallicis Mel. Sangelasii.

SI melior virtus, si gratia gratior esse,
 Sorsque velit fieri prospera, prosperior,
 Consultum mage consilium, perfectioque ipsa
 Perfici, & ad numeros addere multa suos,
 Abs te debebunt Rex impetrare, reponi
 Se titulos inter ut patiare tuos:
 Utque bonus, gratus, felix, dici ore nepotum
 Prudens, perfectus, qualis es ipse, velis.

Ad Zebedaeum.

EPIGRAMMA

LIX.

NEc voces hominum, nec te decreta Senatus,
 Ut barbam ponas, ulla movere queunt.
 Nolo virum, barba quaerit qui nobilis esse:
 Hunc volo, qui barbam nobilitare potest.

Ad Borbonium.

EPIGRAMMA

LX.

SI nomen tibi vis sacrum poëtae,
 Borboni, levibus parare nugis,
 Te nos rusticula, ac profana turba,
 Qui nugas facimus minoris assè,
 Te nos unius aestimemus assis?

Ad Archipoëtam.

EPIGRAMMA

LXI.

AVdieris magnum postquam scripssisse Ma-
 ronem,
 Vix eris ipse tibi semipoëta malus.

D. M. Lau-

D. M. Laurae.

EPIGRAMMA

LXII.

Perrarchae volvens divina poemata Phaebus,
Haec est Laurus, ait: sit modo Laura licet.
Dixit, & in fontis letali vulnere costas
Transadigit dicens, temnito Laura Deum.
Laura animam effundens, Phoebum dileximus,
inquit:
Peccatumque mihi sit placuisse Deum.

Responsum amoris.

EPIGRAMMA

LXIII.

E Gallicis Albenatii.

Indutus doctoris Amor vultumque, togamque,
Tractabat medio maxima quaeque foro.
Huic ego, per Venerem dic, cur dolor adstat
amori?
Ille mihi, solus mors, ait, esset amor.

Ad Lectorem.

EPIGRAMMA

LXIV.

Svnt mala, sunt quaedam peiora, & pessima plura.
Arguit autorem pagina nostra suum.

Libri Primi finis.

EPIGRAMMATVM

LIBER SECVNDVS.

Ad Catharinam Bosremontanam.

EPIGRAMMA

I.

Si Catharina tuum nomen mea pagina sumpsit,
Inque patrocinium se dedit ipsa tuum,
Nil mirum: quae digna fuit fortasse perire,
Vindice se tali vivere posse putat.

Ad Lectorem.

EPIGRAMMA

II.

Ineptiarum volve quaeso nostrarum,
Lector, secundum quem tibi adfero librum.
Addamque tertium, tibi id modo sit gratum.
Ineptiarum nanque nos penes, Lector,
Et tertio & quarto sat est etiam libro.

De Virginis Pallore.

EPIGRAMMA

III.

E Gallicis Antonii Alacris.

Castra locarat Amor securo in corde Puellae:
Et nimis, in tenero pectore, durus erat.
Quodque magis doleas, vitam bibit artubus
omnem
Efferus, heu, nimium, sanguineusque Puer.
Hic cor, ubi affectas vires perlenfit, ab ore
Purpurei accivit sanguinis auxilium.

Falsus Cupido.

EPIGRAMMA

IV.

Barbara velato Gelasina occurrit Amori:
Occepitque Puer dicere, Mater ave.
Illa nihil contra, at subito velamine dempto
Ex oculis, Pueri permeat ora pudor.
Ah ne te lapsus pudeat, velate Cupido:
Hoc etiam errarunt lumina aperta modo.

De Opere Fran. Valleriolae.

EPIGRAMMA

V.

Dignum opus a fera quod posteritate legatur,
Abfolvit numeris Valleriola suis.
Perlege opus tantum, autorem miraberis: ipsum
Noveris autorem, pluris emetur opus.
Frustra ergo accedat mea commendatio: laudat
Ipsum opus autorem: laudat & autor opus.

D. M. Montani Iurisperiti.

EPIGRAMMA

VI.

Montanus trepidos media de morte trahebat,
Viribus eloquii, consiliiue reos.
Mors regnum, lucrumque Charon, duraeque
Sorores
Clamabant vires succubuisse suas.
Nec mora, Montanum rapiunt sine legibus ullis.
Ah, non sic fatis abstulit ille reos.

Ad Iacobum Belnaeum.

EPIGRAMMA

VII.

Cvm vates numeras, quos secula nostra tulere,
Me vatum in numerum iure Iacôbe refers.
At vates si vis aequata pendere lance,
Non ero, crede mihi, ponderis huius ego.

Ad Mellinum Sangelasium.

EPIGRAMMA

VIII.

Nostros, Sangelasi, tibi libellos,
Libellos brevitae singulari,
Commendo, exiguis licet, videbis
Conclusum genus omne ineptiarum.

Ad Lectorem.

EPIGRAMMA

IX.

PAuca damus, fateor, sed inepta epigrammata
Lector:
Ergo multa nimis dicere iure potes.

Ad Doletum.

EPIGRAMMA

X.

SI falsum est nihil in tuis libellis,
Dolete, hac poteris vacare culpa:
Qui sudaveris usque & usque totus,
Vt scriptor fieres subinde falsus.
Tuum os hoc rigidum, minax, severum,
Os dirum, os tetricum, os Catonianum,
Romani fugiunt sales, iocique.

D. M. Ciretti.

EPIGRAMMA

XI.

Ciretti similem si Mors superesse putasset
Iniuriarum vindicem,
Non patriae, uxori, natis, non legibus ipsis,
Fecisset hanc iniuriam.

E Gallicis Marotti.

EPIGRAMMA

XII.

Qvaerit opem Corpus medicam, Mens omnia
contra:
Carceribusque atris ire soluta cupit.
Corpus humum, cognata levis Mens suspicit
astra.
Dii quam terrificum Mensque Caroque fre-
munt?
Me ne ita, Corpus ait, tristi succumbere morbo?
Mens contra, invisas me trahere usque moras?
I, Caro ait, meliora peto: cui Spiritus, errat,
Inquit, uterque: Dei stemus in arbitrio.

Catharinae Bosremontanae ad Lauram.

EPIGRAMMA

XIII.

PArce mei, quaeso, Goveani temnere Musam,
Petrarcha, nimium Laura superba tuo.
Crede mihi, scribit quo plura Petrarcha disertus,
Hoc eius distat mens ab amore magis.
Cui non suffuratur Amor de corpore sensus,
Iudicium? memorem quem finit esse sui?
Ergo meum non ingenio cessisse Petrarchae
Credideris Vatem, plus sed amasse tuo.

Ad

Ad Ioannem, Lusitaniae Regem.

EPIGRAMMA

XIV.

Cvm tibi nec vires, nec opes in praelia desint,
Fortuna arbitrio stetque cadatque tuo,
Quid non finitimos flamma ferroque laceffis?
Quid non iniustum ius tibi ubique facis?
Haec tua divina est, ac plane regia virtus,
Possè nocere quidem, nolle nocere tamen.

Ad Iac. Belnaeum.

EPIGRAMMA

XV.

Dissimulanda mihi fuerat mea patria: verum
Carminibus patriam vivere nolo meis.
Adde quod illius tanta est lux, gloria tanta,
Lumine ut in tenebris luceat ipsa suo.

Ad Archipoëtam.

EPIGRAMMA

XVI.

DE numero vatum vates detraxeris omnes,
Hoc subito fies Archipoëta modo.

Dearum invidia.

EPIGRAMMA

XVII.

Vidère, & Catharina tibi invidère puellae
Tres divae, Iuno, Pallas & alma Venus.
Sic indignantes secum, dirumque frementes,
Ante Iovem posito procubuere genu.
Hic Iuno, ante alias, medio interfata dolore est,
Singultu tremulos excutiente sonos.
Iuno impertit opes, & Iuno impertit honores?
Fabula, ab humanis sumere Iuno potest.
Tum Venus, o Genitor, Divas quae vicit in Ida,
Humana ut forma sit modo victa Venus?
At Pallas, quid me cerebro genuisse necesse
Pallada, si possunt foemina virque dare?
Iuppiter hïc, tales aliam genuisse parentes
Non potuere: tamen non genuere Deam.

Ad Borbonium.

EPIGRAMMA

XVIII.

Nvgarum voco gratia poëtam
Quo te saepius, hoc magis magisque,
Borboni, dubito, leves ne possint
Nugae reddere serium poëtam.

Ad Lectorem.

EPIGRAMMA

XIX.

Cresce meo dico, Lector studiose, libello.
At contra ille mihi, non sapis hercle pater.
Cum rogitò caussam, ridens sic ille, libellus
Si placeo, speras posse placere librum?

Ad Maronem.

EPIGRAMMA

XX.

NE mirere Maro, cur Archipoëta vocetur
Nescio quis: vera est cognita caussa mihi.
Quantum a postremis distas, Maro docte, poëtis,
Tantum distat ab his Archipoëta meus.
Nam quo postremis prior es, Maro docte, poëtis,
Posterior tanto est Archipoëta meus.

Ad Catharinam Bosfremontanam.

EPIGRAMMA

XXI.

SI Laurae Catharina par haberis,
Quam tantam eximius poëta fecit,
Hoc Laura potes esse maior ipsa,
Quo me maior erat Petrarcha vates.

Ad Posthumum.

EPIGRAMMA

XXII.

Contentus esse filiabus, Posthume,
Auctus duabus, sorte iam potes tua.
Nam si neque dimidium petebas unius,
Plus quam petebas accepisti Posthume.

Ad Steph. Doletum.

EPIGRAMMA

XXIII.

Pythagorae, Dolete, placet si dogma renati,
Non mirum est, animam si Ciceronis habes:
At tantam molem, & tantos diffusa per artus,
Virtutem certe perdidit illa suam.

M m m m m m m m

D. M. Si-

*D. M. Sibyllae Bartiae.*EPIGRAMMA
XXIV.

Cvm Pater ipse hominum coelis inferre Sibyllae
Et mentem, & mentis terrea claustra parat,
En tellus natae collo dans brachia circum,
Patri animum, matri reddito corpus, ait.
Nata piae iustas lachrymas miserata parentis,
Liquit materno corpus inane sinu.

*Ad Poëtas Gallos.*EPIGRAMMA
XXV.

O Sacri Vates, dilectaque pectora Phoebos,
Gratis nemo putet scommata nostra dari.
Nec mihi larga manus, nec copia magna, quid
ergo?
Ad foenus, Vates, scommata nostra damus.

*Ad Anton. Arlerium.*EPIGRAMMA
XXVI.

Tanta tua, Arleri, gravitas, prudentia tanta,
Quanta potest homini coelitus esse data.
Tanta est cognitio variarum condita rerum,
Quantam ferre dies longa, laborque solent.
Quae faciunt, scelus ut credam, quodcunque
probasti,
Seu damnare alium, sive probare minus.
At quando, Arleri, tibi somnia nostra probantur,
Nunquid iudicio falleris ipse tuo?
An potius (nec enim tantum scelus excidet ore)
Verum iudicium, lingua modesta tua est?

*Ad Ianum Habertum.*EPIGRAMMA
XXVII.

Qvae tu pauca putas Epigrammata, Iane,
putarim,
Si bona, multa satis, si mala, multa nimis.

*Ad Catharinam Bosremontanam.*EPIGRAMMA
XXVIII.

Vincis me ingenio, lepore, forma,
Vincis nobilitate, vincis omni
Virtutum genere omnium optimarum:
Vincis, non nego, nec negare possum:
Ignorant sed amor meus fidesque
Vinci: & sola movent rebellionem.

*De Laurentio Vallensi.*EPIGRAMMA
XXIX.

EX iuramento Vallensis utranque Minervam
Emendaturus, si potuisset, erat.
Quid faciat? pugnet Latiae Graecaeque Mi-
nervae.
At bene non potuit: debuit ergo male.

*D. M. Ioan. Alberti.*EPIGRAMMA
XXX.

NE tumulum Alberti exiguum mirere Viator:
Nam quo potuit cumque obtegi
Albertus tumulo, doctae potuere Sorores,
Et Gratiae, & Pietas regi.

*Ad Anosum.*EPIGRAMMA
XXXI.

Saepe rogare soles, de te quid sentio: laudo
Virtutis dotes, ingenique tui?
Ventosum caput est, mens impia, lingua profana,
Exertae atque agiles ad scelus omne manus.
Immensa est gula, & horrentis via spurca Barathri,
Culo sordidior, foetidiorque tuo.
Crura, pedesque, doli, stupri, furtique co-
lunnae.
An nunc, quid de te sentio, scire potes?

*Ad Gilibertum.*EPIGRAMMA
XXXII.

Vis, Giliberte, mihi donis, animoque placere:
Visque ut ego sevi, sic ego ut arva metam.
Verum ut displicēas timeo, Giliberte: placere
Qui virtute mihi non satis esse putas.

*Ad Catharinam Bosremontanam.*EPIGRAMMA
XXXIII.

TE primum ut vidi magnorum munere Divum,
Quaerebas nomen dissimulare tuum.
Ast Amor auriculam, subito miseratus amantem,
Vellit, & admonuit nominis ipse tui.
Haesi equidem, obtutum longum defixus in unum:
Deceptus tanquam, sustinuique fidem.
Quid dubitas? ait ille: Deo crede impie, crede.
Huic ego contra, hominis nomen habere Deam?

De Bassa.

EPIGRAMMA

XXXIV.

Sacrificum cur Bassa preces pro Coniugis umbra

Non emeret, causam saepe rogata fuit.
Bassa ait, his precibus Coniux non indiget ullis:
Seu penitus felix, siue sit usque miser.
Quod si paulisper rapido purgetur in igne,
Quid? faciam ut preculis exeat inde meis,
Inde, ubi sudando tandem exudaverit imis
Visceribus, Gallae dira venena luis?

Ad Zebedaeum.

EPIGRAMMA

XXXV.

Nocte domum, Zebedae, refers quod in urbe vagatur:

Visque dari nugis optima vina tuis.
Iam iam deficient portanteis vina ministros:
Nam si multa refers, plus Zebedae bibis.

*Ad Lectorem Orationis illius
pro Ctesiphonte.*

EPIGRAMMA

XXXVI.

Crimina, quae facta temerarii admisimus uno,
Exemplo ut caveas, accipe posteritas.
Eloquii fulmen gelido restinximus amne:
Mifimus in putres Caecuba vina cados.
Quodque putes gravius, fuerat qui victor Athenis,
Causa hodie vitio decidit ille meo.

Ad Lectores.

EPIGRAMMA

XL.

Parcite, Lectores, periturae parcite chartae:
Vt pereat, vestro non eget auxilio.

F I N I S.

D. M. Franciscae Perusiae.

EPIGRAMMA

XXXVII.

Ad Venerem.

Quid, quod in aetatis Francisca Perusia flore
Erepta est, flesti tuque, Puerque tuus?
Quid flesti, siquidem poterat nihil addere formae,
Virtuti, ingenio Virginis, ipsa Dies?

Ad Catharinam Bosremontanam.

EPIGRAMMA

XXXVIII.

Vivere si nostri possint, Catharina, labores,
Et tandem a fera posteritate legi,
Gratia multa tibi: siquidem meliore Camoena
Dignior, in nostro es carmine passa legi:
Vt magno felix debet quod Laura Petrarcae,
Debeat id tandem pagina nostra tibi.

Ad Iacobum Belnaeum.

EPIGRAMMA

XXXIX.

Ecce repente uno felix dat Gallia partu,
Doletum lambico trucem:
Macrinum curva gnarum testudine, Divum
Restinguere ardenteis minas:
Borbonium Latiis salibusque, iocisque fluentem,
Nugisque gratum feriis:
Vosque o Vultei, Brixi, Marthane, Ducheri,
Sacrae decora Poeseos.
Quaeris quid facio? numero, Belnae, poetas,
Quos Gallia protulit ferax.

ANTONII GOVEANI EPIGRAMMATA.


[EDITIONIS REPETITÆ.]

EIVSDEM

EPISTOLÆ QVATVOR.

ANTONIUS GOVEANVS IACOBO BELNAEO

S A L.

 I QVANDO a studiis me gravioribus colligebam, IACOBE BELNAEE, quae epigrammate digna videbantur, epigrammate ut includerem laborabam: erat enim ad scribendum animus, erat ea facultas, quam literarum usu prope nullo partam, & conquistam, exercitatio vix aliqua confirmarat, non deerat tua, amicorumque omnium inani fortasse spe, incensa tamen, atque inflammata cohortatio. Verum, ubi ad novos, & veteres scriptores, qui hoc in genere clari, & nobiles extitere, cogitationem paulisper conferebam, debilitabar nescio quomodo, animoque frangebar: qui gratiam novitati concessam, antiquitati auctoritatem esse tributam viderem. Etenim, ut de CATULLO dicam initio, magnus is profecto vir fuit, multarum, magnarumque artium cognitione instructus, invenit acute multa, Romane scripsit non pauca: ea tamen religionis metu omni deposito, quo nos impeditos atque irretitos tenet antiquitas, expendere si velimus, nihil quod ad ingenii acumen, orationis puritatem pertineat, fortasse desideres, cur nova esse non possint, non intelligas. Hunc P. VAL. MARTIALIS ut temporum longo est secutus intervallo, ita victum, superatumque in omnes ingenii partes reliquit. Cuius ut magnae, & admirabiles eo in genere virtutes eluxerint, caeterorum tamen neque studia restinxit, neque conatus retardavit. CLAUDIANVS post multo laude, quam e Panegyricis duobus tulerat, neque eam quidem vulgarem, minime contentus, visus est ad hanc quoque aspirare voluisse, cuius vix umbram etiam levem videtur esse, meo sane iudicio, consecutus. Nostra nimium multos tulit memoria, quos laudis huius cupiditas omnes uno tempore inflammavit. Horum ingenii partim, & industriae commendationem amplissime meruere, novitatis partim gratia contenti, excitato vulgi plausu, doctorum iudicia contemnere potuerunt. Ea nobis etsi deesse vel non potest, vel certe non debet, ita fuerit tamen optanda, ut si nullo ingenio, industria nulla commendetur, iubeam nihil esse valituram. Siquidem & voto meo, & amori nostro factum abs te abunde satis putabo, has nostrorum epigrammatum umbras ita si cognoscas, vitiis ut amanter minime concedas, neque virtutes, quae sentio quam sint exiguae, suo fructu privatas esse patiaris. Fiet enim & Reipub. literariae commodo, & nostra, & literatorum summa omnium voluntate, ut nos, qui & imperitorum vocibus, & doctorum tacitis iudiciis, & posteritatis verecundia permovemur, vel deterriti plane, silentii fruamur securitate, vel certe ab eo impetu retardati, simus ad scribendum aliquanto tardiores. Vale. Lugduni X. Calend. Febru. [MDXL.]

LIBELLVS LECTORI.

MILLE locis castigatum quicumque videbis,
 Disce precor, fuerit quae mihi caussa mali.
 Me Pater immitis nonum servabat in annum,
 Moerentem diris condideratque locis.
 Hic inter mures, tineas, blattasque iacebam
 Squallidus, immissa moesta per ora coma.
 Hic dormitanti si quid peccasse videbar,
 Certabant dorso verbera saeva meo.
 Nunc mihi lucis amor tardas crescebat in horas,
 Nunc libertatis anxia cura novae.
 Forte revolvebat positos ex ordine Fratres,
 Quos studium multos evigilarat idem,
 Elabor trepidans, gressumque per avia duco:
 Orbe vagum toto septima Luna videt.
 Nuper at (heu, miserum quo me mea fata tra-
 hebant?)
 Ecce, meos oculos constitit ante Pater.

Olli sanguineis ardebant lumina flammis:
 Spirabant saevas voxque colorque minas.
 Utque ait, amissae quae spes fugitive salutis?
 Palluit os: flavae diriguere comae.
 Ter conatus ego pedibus me credere, ter me
 Conantem tardi deseruere pedes.
 Illicet ille ferox lacerum crudeliter ora
 Calcat humi duro terque quaterque pede.
 Verberibus lacrymantem oneratque, necatque:
 paterna
 Nil pietas, blandae nil valere preces.
 Vellere dum celsa conatur ab arbore ramos,
 Ut daret extructis viscera nostra rogis,
 En celeres pedibus timor impiger addidit alas.
 Matura vitae consulique fuga.
 In quae si rursus me fata pericula servant,
 Lector amice vale tempus in omne mihi.

ANTONII GOVEANI EPIGRAMMATA.

D. FRANCISCO VALESIO REGI
 FRANCORVM SEMPER AVG.
 LIBELLVS.

EPIGRAMMA I.

SAepe Patrem, tuus ut fierem, Francisce, ro-
 gavi:
 O iustas quoties respuit ille preces.
 Addebam precibus lacrymas: hic ille, quid,
 inquit,
 Pessime, quid? vitam promeruisse putas?

II. CATHARINAE.

SVme patrociniū nostri Catharina libelli,
 Cum Domino valde qui cupit esse tuus.
 Quod non ante dedi, dare nunc Catharina licebit.
 In Dominum scis me iuris habere nihil.

III. LIBELLO.

ESse novum si te quisquam periture Libelle
 Clamitet, aetatem despiciatque tuam:
 Si licet, & fas est, illi tu dicito, Lector
 Heus bone, quid? Veteres non ne fuere novi?

IV. RODORICO FERNANDO, IO.
 LVSITANIAE REGIS LEGA-
 TO SANCTISS.

ODecus, o patriae, o gentis nova gloria
 nostrae,
 Vatibus argumentum ingens variumque futuris,

Tentarem, Fernande, lubens te imponere olympos,
 Et laudum cumulos dicendo aequare tuarum,
 Haec tua ni virtus hominum laude altior omni
 Erigeret sese, & caput inter poneret astra.

V. ANDREAE GOVEANO FRATRI.

Miraris, genio sine
 Quod scribo, invidiae sollicitus nihil?
 Mi Frater, genio sine,
 Non est invidiae sollicitus liber.

VI. AVSONIO POETAE BURDIGALENSIS.

SAlva tibi veterum maneat modo regula mo-
 rum,
 Ludat, ais, mixtis sobria Musa iocis.
 Casta quidem Ausonio fuerit sat vita, poëtae,
 Non fuerit morum regula prisca satis.

VII. D. M. GVIDONIS RANGONII.

HVC ADES GALLORVM QVISQVIS NO-
 MINI FAVES. GVIDO RANGONIVS, QVI
 ET NATVRAE, ET VIRTVTI, ET GLO-
 RIAE, ET FORTVNAE VIXIT SATIS, SIBI
 SE VIXISSE PVTAT PARVM. CVR SI RO-
 GAS, GALLIAE VIXISSE SE NEGAT SATIS.

VIII. AMICIS.

Vestra licet dederim perituris nomina chartis,
 O mihi me multo Pectora chara magis,
 Nil me, nil miserum credo peccasse libellum:
 Fungitur officio nostra Thalia suo.
 Quae, meruit quoniam, pereat cum Vate: perire
 Non meruere avida nomina vestra die.

IX. SEBASTIANO GRYPHIO
LIBELLVS.

Quod legor, & vivo, studiorum fida bonorum
 Lima Gryphi, sane gratia multa tibi.
 Nam mihi semianimi praesto nisi forte fuisses,
 Crede mihi, poteram non periisse semel.

X. LIENORAE REGINAE
FRANCORVM MAXIMAE.

O fortunatam tanto te Fratrem sororem,
 Horrescit cuius terra, fretumque minas.
 O fortunatam tali, tantoque Marito,
 Cui quod agat, Martem nil dare posse vides.
 Vtra tamen maior laus est? me iudice, certe
 Altera Virtutis, altera Sortis opus.

XI. D. M. BAROLLAE SENATO-
RIS BURDIGALENSIS.

In quo certarunt Fortuna, Scientia, Virtus,
 Barollae exiguus contegit ossa lapis.
 Illa tamen, memori si quid modo fidimus aevo,
 Casurum nullo tempore nomen habent.
 Si quaeris, tumulo quid non condantur eodem:
 Exiguo a tumulo non potuere capi.

XII. CAROLO CANDELABRIO.

Dicitur a pica Cruceo Picardia: verum
 Iudicem me, nomen non habet inde locus.
 Crediderim Pici ductum de nomine nomen:
 Martia gens etenim est, Martia Picus avis.

XIII. D. M. LVCILLAE.

Qvos uno geminos partu Lucilla dedisti,
 Cernitur officio functus uterque suo.
 Ille Patris lacrymas miseri solatur, & ille
 Optavit tecum, sustinuitque mori.

XIV. PINASSO.

Vix gramen, pinguem novit vix Mulus ave-
 nam
 Iste tuus, pinguis durat at ille tamen.
 Vivere vel nihilo, te praeceptore Pinasse
 Non potuit Mulus non didicisse tuus.

XV. CATHARINAE.

E Gal. Clem. Marotti.

Dum Catharina petis nive me candente, pu-
 tabam
 Igne carere nivem, nix tamen ignis erat.
 En, quid agam, fallax nivibus si conditur ardor,
 Si laet adstricta frigus, & ignis aqua?
 An Catharina meo vivit quae in corde favilla,
 Crescit frigoribus, vincitur igne pari?

XVI. ARNOLDO LVCIO.

Si mihi nil debes, quid Luci indebita solvis,
 Sponte tua factus debitor ipse meus?
 Esse quid hoc dicam, nisi quod vis debitor esse,
 Ut possis isto creditor esse modo?

XVII. D. M. ALDI MANVTII
ROMANI.

Si nescis, cur quae cinerem tegit urna Manuti,
 Haec eadem Musas non tegit urna novem:
 Ignoras, studio quanto perfecit ille,
 Incolumes possent ut superesse patri.

XVIII. MARSIO.

Sollicitas rauco Mariam, crebroque susurro
 Momentoque Senex mille remandis Ave.
 Hinc tibi promittis felicitis praemia vitae,
 Securusque tui fata, diemque manes.
 O quam te ludit fallax pietatis imago.
 Non orare putat labra movere Deus.

XIX. HVBERTO SVSANNAEO.

Quatuor ergo tibi Gallos placet esse Marones:
 Visque tibi hos inter quatuor esse locum.
 Hac ratione potes quintum me dicere, sextum
 Me si quis peior esse poeta potest.

XX. D. M. CIRETTI SENATO-
RIS BURDIGALENSIS.

Cirettum patriae patrem, lumenque Senatus,
 Tumulo sub exiguo vides.
 Cui si forte parem lato vidisset in orbe
 Iniuriae Mors vindicem,
 Non patriae, uxori, natis, non legibus ipsis,
 Fecisset hanc iniuriam.

XXI. IO. CRVCEO.

Cum tonat, ad cellas trepido pede Vallius
 imas
 Confugit. in cellis an putat esse Deum?

XXII.

XXII. D. MARGARITAE VALESIAE REGINAE NAVARRORVM MAX.

O Regum foror, & coniunx, o altera partus
Sors magni, ingentisque, o ingens fratris imago,
Te canerem, nomenque tuum, nomenque tuorum,
Virtutemque aequatam astris, si pondera laudum
Tantarum exiguae possent attollere chartae.

XXIII. IACOBO TEVIO.

Sepositas epulas peruestigasse culina,
Esse stupidi negas Tevi.
Sepositas epulas peruestigasse culina,
Naris, fateor, est laus Tevi.

XXIV. CATELLO, CUI NOMEN PARIS.

Qui tantae voluit tibi esse nomen
Vrbis delitiae Catelle nostrae,
Virtutem ille tuam, & sagacitatem
Tanto nomine visus est vocasse.

XXV. PHILAENO.

Vnde tui tibi tantus amor? compefce furorem.
Res cum rivali nulla Philaene tibi.

XXVI. ZOILO.

Zoile vive, vale, nostroque ignosce libello:
Nam simul ac morsus senserit ille tuos,
Quantum animis sese attolet, quantum efferet ore
Improbis? & durum dixeris esse Patrem,
Seque diu infontem foedas passum esse lituras:
Ah nescis quid sit Zoile cura patris.

XXVII. MARTIALI GOVEANI FRATRI.

Frater amice, tibi nostro dare carmina libro,
Effet in argutum mittere ligna nemus.

XXVIII. BACCHO.

Quid tibi Bacche pater non stat Zebedeus ad
aras,
Si caper est sacris victima grata tuis?
Par utriusque nefas, par est iniuria Bacche:
Hic est pernicies vitis, & ille meri.

XXIX. D. M. ANTONII GOVEANI AVI OPT. ATQVE MERITISS.

Enfem tuum, dextram tuam Mors horruit:
Illam, & Ave, bellis inclytam Mors horruit.
Nec ausa iuventa congredi tecum integra,
Gravi senecta concutit vires prius.
Quid laudis esse possit in victoria?

XXX. LIBELLO.

Parve liber, si te quisquam despexerit, illi
Tu dicito, Pater meus,
Quae bona sunt, scripsit doctis, mala scripsit
amicis.
Quid o homo hic vides tuum?

XXXI. VENVS.

E Gal. Ant. Alacris.

ME nudam Paris, & nudam me vidit Adonis,
Ille meus iudex, & meus alter amor.
Verum ubi me Rhodius nudam vidisset Apelles?
Fabula. vidisset scilicet ille Deam.
Sic tamen ad vivum me qui depinxit, oportet
Nudatam Venerem viderit ille quoque.

XXXII. CLAVDIAE BELNAEAE VENVS.

Imitatio.

ME nudam Paris, & nudam me vidit Adonis,
Ille meus iudex, & meus alter amor.
Verum ubi ego, Belnaea, tuo sim visa Parenti?
Fabula. vidisset scilicet ille Deam.
At vero talem genuit quicumque, necesse est
Nudatam Venerem viderit ille quoque.

XXXIII. IO. MICHAELI.

Fvgisti Michaël ferrum, flammamque crucis
cemque.
An non tibi vita pes melior?

XXXIV. IO. CRUCEO.

Argutis epigrammatum libellis
Toto notus in orbe Martialis
Quaeris qui fuerit, negasque notum
Argutis licet usque, & usque chartis,
Ignotis hominem fuisse terris.
Mendacem arguis, ac tenes aperte:
Hispanum tamen esse schema nescis.

XXXV. IO. ALBENATIO.

Si luitura viris licuit dixisse Latinis,
Hispanis cur non eluitura licet?
An licet, & licuit semper, semperque licebit,
Quique licere negat, nescit is esse luo?

XXXVI. AEMYLIO FERRETO LIBELLVS.

EMendaturis me terque quaterque favillis
Devovit durus, difficilisque Pater.
Spero equidem, nec spes animum deludet inanis:
Ignovit, dicas me placuisse tibi.

XXXVII. CATHARINAE.

AB AMORE MERCEDEM EXPECTEM,
QVI NEQVE QVANTVM SIM PROMERI-
TVS, VIDET, NEQVE EXPENDERE PER
AETATEM POTEST? EN QVID SERVIRE
ET PVERO, ET CAECO?

XXXVIII. POSTHVMO.

Contentus esse filiabus Posthume
Auctus duabus, forte iam potes tua.
Plus quam petebas accepisti Posthume.

XXXIX. IO. ROMANO CREMO-
NENSI GASALINO MAIORI-
TANO.

Qui Romane ibi medicas Deus obtulit artes,
Invidit Aesculapio.

XL. STEPHANO DOLETO.

TE quid non laudem forsan Dolete requiras.
Id me tu melius facis.

XLI. BLANCHAE DVRAEAE
IAC. REGINALDI ALENII
VXORI INTEGERR.

QVae tua nobilitas, virtus, prudentia, mo-
rum
Suavitas, quae gratia,
Quae porro tibi mellitae facundia linguae,
Tu dicere queas optime.

XLII. HIERONYMO SORIO.

SI Lusitanas Sori penetrarit ad urbes
Squallidus, impexus, exiguusque Liber,
Est meus, arripito, Patrique remittito caesum.
Quas meruit poenas non dedit ille mihi.

XLIII. D. M. THOMAE MORI.

VITAM TIBI TVA THOMA MORE IN-
TEGRITAS ADEMIT, GLORIAM VERO PE-
PERIT SEMPITERNAM. CINERI PRO-
DEST, QVAE VIVO NON PROFVIT INNO-
CENTIA.

XLIV. NAVTA.

PER freta cum veheret Regem diversa, pa-
tremque
Summerfum tumidis Navita fleret aquis,
Rex illi, te quis tantus furor egit inepte,
Ausus ut infido sis dare vela mari?
Cui Vector, te quid molli Rex optime lecto
Credis, ubi patrem scis periisse tuum?

XLV. ANDREAE GOVEANO
FRATRI.

QVem cepi Frater leporem, tibi ponitur:
an non
Id vere est leporem perdere, & accipere?

XLVI. LECTORI LIBELLVS.

SVm brevis: hac una spero virtute placere.
Est vitii Lector cum brevitate minus.

XLVII. LIBELLO.

PArve Liber patriasque manus, Patremque
perose,
Te si lucis amor liberioris habet,
I, sequere ignotasque manus, & inhospita tecta,
Qui multo poteris tutior esse domi.
Quo tamen effugias alienae verbera dextrae,
Peccavit dices, Lector amice, Pater.

XLVIII. PHAEDRO.

NEscis cur veteres nequeas superare canendo?
Ὁ κ̄ σχισμαχέεις ὦ φίλε.

XLIX. SANCTO AMANTI EQVITI
HIEROSOLYMITANO
MERITISS.

O Sancte, o terrae ac pelagi defuncte periclis,
O invicte animo, o magnum patriae ornamentum,
Ten' ego commendare queam? Iovis aurea proles
Musae alium date Moeoniden, en alter Vlysses,

L. MAXIMO.

IMportunus ego dicor tibi Maxime semper,
Caseolus petitur cum tuus iste mihi.
Caseolum quid non mittis mihi Maxime totum?
Aut quid das vitio quod facis ipse, mihi?

LI. CATHARINAE.

TVm dabo pro xenio tibi me Catharina lu-
benter,
Reddideris postquam me Catharina mihi.

LII. MARTINO FERRERIO.

SI qua videbuntur nostro vitiosa libello,
Si qua Latina minus, si qua faceta parum,
Excusata sui fuerint tibi tempore Patris.
Non eadem recte scribit, amatque dies.

LIII. D. M. LAVRAE.

PEtrarchae volvens divina poemata Phoebus,
Haec est Laurus, ait, sit modo Laura licet.
Dixit, & e telo prostratam his increpat, I nunc,
I nunc, & magnos impia temne Deos.
Laura animam effundens Phoebum dileximus,
inquit,
Peccatumque mihi sit coluisse Deum.

LIV. AEMYLIO FERRETTO.

Nil quoniam Ferrette mihi nisi carmina, restat,
A Lusitano nil nisi carmen habes.
Caetera detraxit pridem Fortuna, reliquit
Quidquid ego poteram dicere iure meum.

LIV. CATHARINAE.

Si quaeris Lugdunensi quid agamus in urbe,
Teque etiam nostri tangere cura potest,
Conqueror ignavam luci succedere noctem,
Humecto lacrymis, decipioque diem.
At lacrymis crudelis Amor non vincitur ullis:
E media cuius edita Mater aqua.

LVI. D. M. GABRIELIS
TARRAGAE MEDICI.

Viderat, & poterat venientem evadere Mor-
tem
Tarraga: ast ultro sese fert obvius olli.
Quem Nati, & lacrymis Coniunx compellat
obortis,
Quo properas? medicas quid non praecingeris
artes?
Quo properas? vitam, ille inquit, pro morte
pacisci.

LVII. IACOBO BELNAEO.

Dum capio leporem, blandi fugere lepores.
Res, Belnaee, duas non capit una manus.

LVIII. D. IO. REGI LVSITANIAE
MAXIMO.

Cum tibi nec vires, nec opes in praelia de-
sint,
Fortuna arbitrio stetque cadatque tuo,
Quid non finitimos ferro, flammaque laceffis?
Quid non, iniustum ius tibi ubique facis?
Haec tua divina est, & plane regia virtus,
Possse nocere quidem, nolle nocere tamen.

LIX. MEMORIAE SEMPI-
TERNAE.

VIVENTI CATHARINAE POSVIT GO-
VEANVS: QVI MORTVAE NEQVE DEESSE
POTERAT, NEQVE SVPERESSE.

LX. ARCHIPOETA.

DE numero vatum vates detraxeris omnes,
Hoc sane fias Archipoeta modo.

LXI. RESPONSVM AMORIS.

E Gal. Io. Albenatii.

Indutus sapientis Amor vultumque togamque,
Traetabat publicis vel Iove digna locis.
Illi ego, per Venerem, sequitur quid amaror
amorem?

Ille mihi, solus ne sit amaror amor,

LXII. SEBASTIANO GRYPHIO.

SVnt mala, sunt peiora Gryphi, sunt pessima
plura.
Pauca tamen fuerint hac ratione mala.

LXIII. IACOBO BELNAEO.

Cum vates numeras, quos secula nostra tulere,
Me vatum in numerum iure, Iacobe, refers.
Lance tamen vates si quisquam ponderet aequa,
Non ero, crede mihi, ponderis huius ego.

LXIV. FALSVS CVPIDO.

Barbara velato Gelasina occurrit Amori:
Occepitque Puer dicere, Mater ave.
Illa nihil contra: ac subito velamine dempto
Ex oculis, doluit, subrubuitque Puer.
Caecae Puer, pudor unde tuus, lacrymaeque?
retracta
Hoc errare vides lumina posse modo.

LXV. IAC. REGINALDO
ALENIO.

Quas tibi ego, Aleni, grates certissima proles
Heroum, magni generis magnum incrementum,
Quas tibi agam grates? variis me erroribus actum,
Ignotum socias ultro mensaque, domoque.
Quae nostris tua vel pietas, vel gratia rebus
Defuit? Hospitii quae non tibi praestita iura?
O mihi tam longae Superi dent tempora vitae,
Officiis tecum sat erit contendere quantum.
Spe quanquam sine vincendi contendere vanum
est.

LXVI. VIRGINIS PALLOR.

E Gal. Ant. Alacris.

Castra locarat Amor medio sub corde puellae,
Et nimis in tenero pectore durus erat.
Quodque magis doleas, vitam bibit artubus
omnem
Ferreus ah nimium, sanguineusque Puer.
Hic cor ubi affectas vires persensit, ab ore
Purpurei accivit sanguinis auxilia.

LXVII. D. M. IO. MONTANI
IVRISP.

Montanus trepidos media de morte trahebat
Viribus eloquii consiliique reos.
Lugebant erepta sibi sua numina Parcae,
Nec volvi fufis ferrea fata suis.
Haud mora. Montanum rapiunt sine legibus ullis.
Ah non sic fati abstulit ille reos.

LXVIII. PETRO ALVARO.

Pauca damus, fateor, sed inepta epigram-
mata Petre.

An non multa nimis dicere iure potes?

LXIX.

O O O O O O O O